Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1726

urn:nbn:de:gbv:46:1-7574

Visual Library

BIBLIOTHECA

Historico-Philologico-

THEOLOGICA.

Classis *Octavae*

FASCICULUS QUARTUS.

BREMAE,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII,

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CCXXVI.

VIRO

Nobilissimo & Consultissimo

HERMANNO

POSTIO,

J. U. D. & causarum patrono dexterimo,

Omnibus doctrinae, virtutis & fortunae ornamentis fulgidissimo,

S. D.

EDITOR.

Seu

Seu te haec immersum deprendet epistola libris,
Laetitiisque tuis laetitiisque meis,
Seu te versantem detrita nomismata cernet,
Delitiasque tuas, delitiasque meas,
Est tamen acceptae tibi nuntia fida salutis,
O POSTI, cordis portio corque mei!
POSTI, cui riguum est doctrinae flumine pectus,
Quem Phoebus colit, & cui Themis alma favet.
Quem placidi mores, nec fucis illita virtus,
Gratia quem linguae, mitis & oris honos,
Censibus in tantis quem rara modestia plus, quàm
Splendida Doctoris laurea condecorant.
Accipe diducto, Vir consultissime, vultu,
Accipe, quem tibi nunc offero, fasciculum.
Est leve, vixque tuo condignum nomine munus,
Sit tamen ille animi tessera praesque mei.
Forsan ubi nostros mors pallida clausit ocellos,
Qui dicet, folium hoc quando tere tur, erit.
O quam POSTIADEN suspexit HASAEUS amicum!
O quam Postiadi carus HASAEUS erat!

Syllabus eorum, quae in hoc fasciculo leguntur.

I. *Ruardi* ANDALA de SABBATHO quarti praecepti & diei dominicae observatione tempore N. T. Thesis p. 541.

II. *Joach. Christiani* JEHRINGII de AHASVERO, ejusque regno Medo-Persico dissertatio. p. 565.

III. J. C. HARENBERGII exegesis Psalmi CXVIII. p. 605.

IV. *Ejusdem* de vocibus דרכון, דרכמון, ארכון ad illustranda loca 1. Par. XXIX: 7. Esdr. II: 69. Neh. VII. 70, 71, 72. Observatio p. 623.

V. Caroli Frid. KRUMBHOLTZII ad Marc. XV: 11. animadversio p. 633.

V. T. d. H. itineris, quod annis 1721. & sqq. circum terrarum orbem factum est, descriptio. p. 640.

VII. Jo. Jac. HULDRICI de vita & morte *Rodolphi* GUALTHERI Oratio. p. 660.

VIII. *Jacobi* TAMNAVII de ΑΕΒΗΔΩΝ & ΑΕΒΙΔΩΝ *Hesychii* Observatio. p. 694.

IX. De Godofredo *Sopingio* brevis relatio p. 703.

X. *Theodori* HASAEI verae originis, & significationis vocis ASTARTES expositio. p. 707.

ΣΥΝ ΘΕΟΥ ΠΑΛΑΜΑ.

I.

RUARDI ANDALA,

S. T. D. & Prof. in academia Frisiorum, & h. t. Rectoris,

de SABBATHO quarti præcepti;

Et de

DIEI DOMINICI observatione tempore N. T.

Theses.

I.

SAbbatum quarti præcepti definite & præcise dies est septimus; neutiquam indefinite unus è septem.

Demonstratio.

1. Præceptum quartum diserte & totidem verbis id docet, Exod. XX, 9. 10.

Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. Dies vero septimus Sabbathum est Jehovæ Deo tuo.

2. Ratio, qua hoc præceptum urgetur, idem comprobat, vſ. 11. *Nam sex diebus perfecit Jehova cœlum & terram, &c. quievit vero die illo septimo; ideoque benedixit Jehova diei Sabbathi, & sanctificavit illum.* De eodem ſeptimo die certiſſime agit quartum hoc præceptum.

3. Legislator ipſe ſtatim in initio præcepti digito quaſi monſtrat *ſeptimum* hunc diem: ideo in Hebræo eſt השבת cum ה demonſtrativo, quod hic ſuam vim habere debet; quia dicitur, *Recordare diei Sabbathi*; quem ſcilicet modo inſtitui & notum feci in datione mannæ: illo die Manna non conſpiciebatur in agris. De hoc *Sabbatho* legitur Exod. XVI, 23. 25. 26.

4. Ipſa diei hujus *ſeptimi* obſervatio tempore V. T. quæ etiamnum hodie obtinet inter Judæos, idem manifeſto evincit. Judæi obligati erant præciſe ad *quietem* diei *ſeptimi*, & non unius è ſeptem; certe non niſi vi præcepti hujus quarti.

II.

Sabbathum ſeptimi diei primum inſtitutum eſt in datione mannæ, Exod. XVI, 23-29. Præceptum de eo datum repetitum & ſancitum eſt in hoc quarto præcepto.

Demon-

Demonstratio.

1. Quia nullibi post lapsum ante datio-nem mannæ aliquod præceptum vel verbum occurrit. Imo ne quidem vola vel vestigium ullibi inveniri potest; licet res plurimæ longe minoris momenti in brevissima Mosis historia legantur. Quod & ipso facto comprobant dissentientes, qui proferunt locum Gen. IV, 26. ibi nullum tempus definitur; aut alia, quæ nihil probant.

2. Quia Sabbathum hoc datum est, ut sit monumentum liberationis ex servitute Ægyptiaca. Quod expresse additur in repetitione Decalogi, Deut. V, 15. *Et memineris te servum fuisse in terra Ægypti: Jehovam vero Deum tuum eduxisse te inde manu forti & brachio extento: idcirco præcipit tibi Jehova Deus tuus, ut observes diem ipsum Sabbathi.* Dies *Sabbathi & quietis*, institutus quoque in memoriam liberationis & quietis à servitute Ægyptiaca, ante eam non fuit institutus.

3. Quia Deus in Sinai *Sabbathum suum sanctum Israelitis notum fecit.* Neh. IX, 14. Quod non potest ita explicari, ac si Deus hoc in memoriam revocasset, postquam oblivioni datum aut neglectum fuisset; cum nullum ullibi ejus vestigium occurrat. Tempore Patriarcharum propter eorum longævitatem ejus obliviscì non potuerunt. Quomodo ejus magis obliti essent in Ægyptiaca servitute, quam in Captivitate Babylonica; imo

quam in tam longo exilio ipsorum per tot secula temporis N. T.

4. Accedit, quod Deus dicat Ezech. XX, 12. *Ac etiam Sabbatha mea dedi ipsis, ut essent in signum inter me & ipsos, ut scirent me Jehovam sanctificare ipsos.* Licet autem heic sit sermo de Sabbathis in numero plurali, intelligi tamen debet *Sabbathum* illud hebdomadale *septimi* diei, & quidem præcepti hujus quarti, quod datum fuit, quando Deus descendit in montem Sinai, & Israelitas eduxerat ex terra Ægypti: quando dedit *statuta & jura sua, quæ qui faceret homo, viveret per eâ.* Quod contextus docet. Et sæpius *Sabbathum* hebdomadale in plurali *Sabbatha* dicitur. Vide Exod. XXXI, 13-15. Sic & Matth. XXVIII, 1. &c.

III.

Sanctificatio septimi hujus diei, quam præcepit Deus in quarto præcepto, est cærimonialis sanctificatio; qualis circa altare, tabernaculum, Sacerdotes, plurimasque personas, res, tempora & loca sacra, in lege cæremoniali fuit instituta. Hinc ea non tam, imo proprie non consistebat in officiis pietatis, lectione & auditione Verbi divini, invocatione nominis divini & gratiarum actione, cultu Dei publico, aliisque piis exercitiis; (ad quæ tamen omnia pius & fidelis Israëlita summopere erat obligatus;) *sed in separatione hujus diei à reliquis per rigidissimam quietem ab omni opere, quod reliquis diebus fieri solebat.*

De-

Demonſtratio.

1. Non alia *ſanctificatio niſi* per talem *quietem* præcipitur Exod. XVI, 23. 25. 29. ubi tamen hoc Sabbathum ejusque ſanctificatio primum inſtituitur. Et quia eo die quidam egrediebantur ad colligendum Mannam, redarguantur v. 25. à Jehova, *quousque renuitis obſervare ſtatuta mea & leges meas?* Ita *Sabbathum Dei* non ſanctificaverant.

2. Hæc ſanctificatio ita explicatur in ipſo præcepto quarto, per hæc verba, *nullum opus facies.* Similiter Jer. XVII, 21. 22. maxime v. 24. 27. ubi *educere onera è domibus ſuis, & portare, in die Sabbathi*, opponitur *ſanctificationi* illius. Sic Exod. XXXI, 14.

3. Quia Salvator dicit Matth. XII, 5. *Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum profanare, & inexcuſabiles eſſe.* Profanabant *Sabbathum* operibus ſuis religioſis, ſacrificiis, eorum mactatione & oblatione. *Sabbathum* quod quiete rigidiſſima ſanctificabatur, operibus Sacerdotum *profanabatur.* Hinc *Maimonides* dixit, *in templo nulla eſt Sabbathizatio.*

IV.

Opus præcepto quarto vetitum eſt ſine reſtrictione omne opus, ſive facile, ſive difficile, ſive magnum, ſive parvum fuerit.

Demonſtratio.

1. Quia ne quidem licuit Iſraëlitis hoc die, prodire ex ſuis tentoriis ad colligendam

Mannam ; nec licebat *coquere*, aut *elixare* quicquam, Exod. XVI, 23. 29.

2. Exemplo *colligentis ligna, in die Sabbathi*, qui lapidandus & occidendus fuit ob hoc opus, *secundum os Dei*, Num. XV, 32-36. Conf. Exod. XXXI, 14. 15.

3. Quia est præceptum generale *de omni opere*, sine restrictione ; tum in præcepto quarto ; tum Exod. XXXI, 14. & alibi.

V.

Præcepti quarti nec sententia nec intentio est, prohibere tantum opera, quæ cultum publicum turbarent, aut saltem impedimentum aliquod aut noxam eidem afferrent, sed stricte omne opus prohibere.

Demonstratio.

1. Ex prima hujus Sabbathi institutione, Exod. XVI, 29. 30. ut & ex præcepto quarto, Exod. XX, 10. ubi nulla fit restrictio ad opera, quæ cultui publico obesse possent; sed sermo est de *omni opere*, sine ulla exceptione.

2. Quia nullibi legimus aliquem ob publici cultus neglectum esse punitum; sed qui leviſſimum opus fecerat & quædam ligna collegerat morte erat puniendus, Num. XV, 32-36. Exod. XXXI, 14. *Profanantium Sabbathum quisque morti traditor : nam quicunque in eo fecerit opus, utique exscindetur anima illa è medio populorum suorum.*

3. Potissimum ex infallibili Christi interpretatione, Matth. XII, 5. *Sacerdotes in tem-*

plo

plo *profanant Sabbathum*, operibus religiosis, sacrificiis &c.

VI.

Præceptum hoc quartum est cærimoniale, distinctum à ceteris novem præceptis, diversæ indolis & naturæ.

Demonstratio.

1. Hæc thesis facile deducitur ex tribus præcedentibus. Præceptum de ejusmodi septimi diei *sanctificatione* cærimoniali, quo prohibetur omne opus, ceteroquin licitum, etiamsi nec turbet cultum publicum, nec ei obsit, non fluit ex natura Dei, sed pendet à beneplacito ipsius, est typicum, & aliam quietem adumbrat.

2. Verbum Dei hoc confirmat. Exod. XXXI, 13. 17. *Sabbatha mea servatote: nam signum est inter me & vos per generationes vestras, ad cognoscendum me Jehovam esse, qui sanctifico vos.* Sic vs. 14. *Sabbathum* dicitur *res sancta*, cujus est signum. Et vs. 15. *requies* dicitur *res sancta Jehovæ.* vs. 17. *Signum* dicitur לעלם ad finem seculi præsentis, sive prioris.

3. Hinc Paulus etiam *Sabbatha* numerat inter *umbras rerum futurarum; at corpus est Christi*. Col. II, 17.

4. Ideo & Christus se dicit *Dominum Sabbathi.* Matth. XII, 8. qui *Sabbathum* impleret & abrogaret; ideo de illo dispensare potuit.

5. Quod & eventus confirmavit; nam

Sabbathum diei ſeptimi Judæorum reapſe ceſſavit, quando corpus advenit.

6. Hoc præceptum diſerte & manifeſto diſtinguitur à ceteris præceptis in Sinai datis, ſive à ceteris novem. Sic Neh. IX, 13. *dedisti eis judicia recta, & leges veras, ſtatuta & præcepta bona;* hæc ſunt reliqua novem. Additur vero vſ. 14. *Sabbathum quoque ſanctum tuum notum feciſti eis.* A quibus decem præceptis tum diſtinguitur alia *lex*, per Moſen data, cui nullum tale elogium tribuitur, quale vſ. 13. *legibus* prioribus, ſive præceptis novem. Sic & Ezech. XX, 11. 12. *ubi dedi eis ſtatuta mea, & jura mea nota feci eis, quæ qui faceret ea homo, viveret per ea:* hæc apud Nehemiam *bona* dicuntur. Additur vſ. 12. *Ac etiam Sabbatha mea dedi ipſis, ut eſſent in ſignum inter me & ipſos*, &c. Quibus opponuntur & à quibus manifeſto diſtinguuntur *ſtatuta non bona, & jura, per quæ non viverent*, quæ Deus poſtea *dediſſe* ſe dicit vſ. 25. quæ eſt lex Moſaica.

VII.

Præceptum hoc cæremoniale fuit admodum moleſtum & grave; quin impoſſibile fuit tam ſtricte id obſervare. Quæ & fuit ejus imperfectio.

Demonſtratio.

1. Hæc theſis demonſtratur ex ipſa quiete ab omni opere, heic præcepta, quæ tam rigide obſervari non potuit. Hinc hoc *Sabbathum* profanari neceſſario debuit variis operibus & officiis neceſſitatis; e.g. 1. cibum potumque

que capiendo, *assatio* & *elixatio*, & mannæ collectio, omitti potuit; licuit tamen & necessum fuit aliquem cibum vel potum sumere. 2. Cura ægrorum; quos curare, eisque opem ferre & necessaria suppeditare, lex amoris jubebat. 3. Mortuos tractare. 4. Bestiis prospicere. Hinc quærit Salvator. Matth. XII, 11. *Quis ex vobis, qui habeat unam ovem, & si ea inciderit Sabbatho in foveam, non apprehendat eam & erigat?* Unde colligit Christus, *quantum autem præstat homo ovi? Itaque licet Sabbathis bene facere*, & sanare hominem. 5. Si hostis appropinquaret, invaderet, & obsideret urbem, defensio erat necessaria, omnique opere & virium contentione ei erat resistendum. In hisce casibus cedere debuit lex hæc cæremonialis legibus majoris necessitatis, & legi amoris Dei & proximi, quæ jubet aliis benefacere; adeoque & sanare ægrotum, Matth. XII, 12. Imo etiam legi alii cæremoniali. E. Gr. quæ Sacerdotum sacrificia die Sabbathi peragenda præcepit; quibus profanabatur *Sabbathum*, & erant *inculpabiles*. Matth. XII, 5.

2. Consequens est, quod quies illa fuerit admodum molesta, & soliciti timoris plena; quando enim Deus præceperat *quietem ab omni opere* stricte & rigide; & quidem sub pœna mortis; soliciti, dubii & anxii admodum sæpe fuerunt, incerti quid agere esset licitum

tum, permissum, necessarium, quid non. Conf. Hebr. II, 15. Rom. VIII, 15.

VIII.

Præceptum hoc de tam rigida, absoluta & molesta quiete, absque respectu ad cultum publicum, ne hic turbaretur, habuit sapientissimas rationes.

Demonstratio:

Hæc petitur ex re significata. Visum fuit Deo adumbrare

א. Partim quietem perfectam Salvatoris, Schilo nostri, ab opere redemtionis & novæ creationis, sive à labore animæ suæ; cujus quietis initium fuit, cum dixit, τετέλεσται, & quievit in sepulcro.

ב. Partim etiam quietem fidelium N. T. tum à servitute V. T. tum à servitute peccati & Diaboli, inchoate in hac vita, & consummate ab omnibus peccati reliquiis & ærumnis in vita futura.

Hac de causa res significata hujus vitæ nomine *Sabbathi* venit Jes. LVI, 2. LVIII, 13. De hac *quiete* Paulus etiam agit Hebr. IV. Confer. Jes. XXVIII, 12.

Sic & Catechista Dominica 38. agit de *Sabbatho perpetuo* in hac vita inchoando.

Ut ergo perfectio consummatæ hujus quietis adumbraretur, necessum fuit prohibere *omne opus*, & præcepta fuit rigida & strictissima *quies* ab *omni* opere.

Quandoquidem vero is, qui hoc signum contemnebat, etiam contemnebat & abnegabat

gabat rem significatam, veram & consummatam quietem Christi & fidelium, jure meritoque sanctificatio hæc cærimonialis & quies hæc comminatione mortis fuit sancita, & profanatio morte punita.

IX.

Quum Sabbathum septimi hujus diei adumbraret Christi quietem ab opere redemtionis, & fidelium à servitute V. T. & peccati; cumque esset signum, Deum ipsos sanctificare, non potuit locum habere ante lapsum; adeoque valde distinctum est à quiete Dei primi diei septimi, Gen. II, 2.

Demonstratio.

1. Distinctio illa patet ex comparatione *Sabbathi*, de quo Gen. II, 2. cum *Sabbatho* quarti præcepti. In hoc præcepto Israel prohibetur *ullum opus facere*: de quo interdicto Gen. II. nullum verbum.

2. Sabbathum quarti præcepti fuit umbra, & signum quietis Christi ab opere redemtionis; talis umbra & signum ante lapsum locum habere non potuit.

Scilicet Deus primo septimo die *quievit* ab opere creationis, imo in eo se recreavit. *Benedixit ei*, id est, eum *benedictum*, sibi gratum & acceptum, faustum & felicem prædicavit, per ἀνθρωποπάθειαν. *Sanctificavit eum*, sanctum eum declaravit. De reliquo tempore, quod pariter sanctificatum fuisset, Moses nihil porro narrat. Hoc erat *Sabbathum* Dei. Homo ad imaginem Dei creatus, acquievit

quievit in Deo creatore suo, caruit omni peccato, sanctificabat & glorificabat Deum suum. Hoc erat verum *Sabbathum* hominis, Gen. II.

Quod cessavit post lapsum, & abolitum & abruptum fuit tum respectu Dei, tum respectu hominis.

Restitutum est per Christum.

Consummatum erit post hanc vitam.

Inchoatur in hac vita.

Sabbatha V. T. maxime hoc hebdomadale, fuere instituta ad Sabbathum hoc verum, spirituale & consummatum significandum.

Hinc colligitur discrimen inter *Sabbathum*, de quo Gen. II. & inter *Sabbathum* quarti præcepti.

X.

Attamen quies ipsius Dei primi septimi diei, quam Moses Gen. II. narravit, fuit fundamentum & ratio, cur Deus in deserto Sabbathum hebdomadale ut signum instituerit: non quod hæc institutio necessario sequatur ex illa Dei quiete & Sabbatho primo; sed propter beneplacitum Dei; quia Deus die illo septimo quieverat, placuit ei præcipere Israëli, ut tam rigide septimo quovis die quiesceret.

Demonstratio.

1. Liquet ex eo, quia nulla est consequentia necessaria, Deus quievit primo die septimo;

mo; ergo nos oportet quieſcere ab omni opere quovis die ſeptimo.

2. Ceteroqui diei cujusque ſeptimi quies ab initio locum obtinere debuerat. Imo etiamnum ſub N. T. quod utrumque falſum eſt.

Ergo hoc ita intelligendum eſt, uti in theſi poſitum eſt.

XI.

Sabbathum hoc cærimoniale dupliciter debuit obſervari;

1. *Secundum literam*; hoc reſpectu literæ quarti præcepti ſatisfecerunt, & hoc Sabbathum obſervarunt & ſanctificarunt, ſi per totum diem otioſi ſederent & ab omni opere quieſcerent. Imo quo magis quieſcebant ab omni opere, eo magis id Sabbathum ſecundum literam ſanctificabant.

2. Sed etiam hoc *Sabbathum* fuit obſervandum, ſanctificandum & conſiderandum *tanquam ſignum & ſacramentum*, ſignificans. *Jehovam eſſe, qui ſanctificaret ipſos*; inchoate in hac vita, tum tempore V. T. ob ſponſionem Filii Dei, tum per ipſam ſatisfactionem ſuo tempore præſtandam; & conſummate poſt hanc vitam. Rem hanc ſanctificatam & obſignatam inquirere, cognoſcere, deſiderare, ad ejus fruitionem anhelare, & ubi ea daretur & offerretur, eam fide acceptare & amplecti, relicta etiam umbra, debebant.

Demon-

Demonstratio.

Duplicem talem observationem, considerationem & praxin omnia signa exigunt. Confer Ezech. XX, 13. ubi reprehenduntur Israëlitæ hoc spirituale negligentes, ut qui *Sabbathum profanarent*, licet secundum literam satis rigide id observarent, & ab omni opere suo quiescerent. Quod & patet exemplo *colligentis ligna*, Num. XV.

XII.

Sabbathum ergo quarti præcepti fuit abrogandum sub N. T. Et per consequens quartum præceptum nos directe non obligat ad quietem diei Dominici.

Demonstratio.

1. Quia *Sabbathum* illud foret *signum per generationes Israëlis*, Exod. XXXI, 13. Quod de reliquis novem præceptis non dicitur.

2. *Sabbathum* id fuit *signum*, ibidem; non minus ac *circumcisio*. Paulus dicit *umbram*, Col. II, 17. Ergo non minus ac *circumcisio* cessare & abrogari debuit. Hinc voluit Apostolus vs. 16. *ut ne quis fideles judicet ob cibum vel potum*, aut in *parte festi*, *aut novilunii*, *aut Sabbathi*, *quæ sunt umbræ futurorum*.

3. Paulus reprehendit Galatas Cap. IV, 9. 10. quod *se converterent retrorsum ad infirma & egena elementa*, *quibus servire vellent ad superiora regressi*. Quo refert vs. 10. *Dies observatis*, *& menses*, *& præstituta tempora & annos*.

Et

Et Rom. XIV, 5-10. pro *infirmis* habet; *qui diem præ die æstimant.*

XIII.

Quamvis præceptum quartum neque Israelem sub V. T. proprie & directe secundum literam obligaret cultum Dei publicum septimo illo die obire; neque nos sub N. T. die hebdomadæ primo, sive Dominico; cultus tamen Dei publicus certo & statuto tempore fuit necessario tum sub V- tum sub N. T. obeundus.

Demonstr. per partes.

1. Quod hoc præceptum de cultu Dei directe non agat, supra visum.

2. Præceptum, quod jubet sub V. T. septimo die nullum opus facere, non potest directe tempore N. T. nos obligare ad diei Dominici observationem, ad primi diei quietem, & cultus Divini exercitium eo die obeundum.

3. Cultum Dei publicum tamen absolute esse necessarium, tam sub V. quam sub N. T. patet ex pluribus particularibus præceptis. Id vel ipsum primum & tertium Decalogi præceptum evincit. Sic & omnia loca V. & N. T. quæ commendant scrutinium S. Scripturæ, meditationem legis Jehovæ, glorificationem Dei &c. Deut. VI, 6. Psal. I, 2. XIX, 8. Eadem omnia loca nos etiam obligant. Adde Hebr. X, 25. Joh. V, 39. Co. III, 16.

4. Res significata & obsignata, *Sabbathum* spirituale & perpetuum, obligabat Israëlem,

lem, ſic & nos, omnes dies Deo ſanctificare, à malis operibus ceſſare, *Sabbathum* ſpirituale & æternum in hac vita inchoare, omnia media huic fini inſervientia adhibere, verbum Dei diligenter legere, audire, cœtus ſacros frequentare, non negligere nec deſerere congregationem noſtri mutuam &c. ſecundum laudatiſſimam explicationem Catecheſeos noſtræ Heidelbergenſis.

Hinc & dies *Sabbathi* ſive ſeptimus fuit etiam dies cultui ſacro deſtinatus apud Judæos ſub V. T. cum eo die quieſcerent.

Imo obligati erant ad veram & ſpiritualem obſervationem hujus *Sabbathi*; Sacramento & ſigno hoc ſancto uti oportebat, ex Theſi XI. Adeoque hunc diem ſanctis cogitationibus tranſigere, piis meditationibus omnibusque pietatis exercitiis eo die incumbere debebant. Hinc Pſalmus 92. dicitur vſ. 1. *Pſalmus & Canticum in die Sabbathi.* Et Act. XV, 21. *Moſes ab ætatibus antiquis habet, qui ipſum prædicarent, quum in Synagogis per ſingula Sabbatha legatur.* Hinc & Apoſtoli egerunt cum Judæis *Sabbatho*: rurſus *proxime ſequente*, Act. XV, 42. 44. Paulus per *Sabbatha tria*, XVII, 2. imo *omnibus Sabbatbis*, Cap. XVIII, 4.

XIV.

Verbum Dei nullum certum diem cultus publici ſub N. T. definivit.

De-

Demonſtratio.

1, Quia nullum de eo expreſſum mandatum invenitur. Mentio quidem fit Apoc. I, 10. *diei Dominici;* ſed is ita dictus eſt, non quod à Deo ſit conſtitutus dies cultus publici, ſed quod *Dominus* noſter eo *reſurrexerit.* Eſt dies ἀναςάσιμος.

2. Quod diſcrimen *dierum* non minus ac locorum ſit ſublatum. Rom. XIV, 5-10. Col. II, 16. 17.

XV.

Quandoquidem tamen tempus cultus publici non minus eſt neceſſarium, ac locus; & certus dies debuit publico deſtinari; Eccleſia Chriſtiana ab antiquiſſimis temporibus hunc primum hebdomadæ diem ad cultum ſacrum ordinavit; nec ullus alius dies ſapientius & rectius ordinari potuit.

Demonſtratio.

Dies hic primus hebdomadæ, dies reſurrectionis, erat primus dies *Sabbathi* N. T. Hic dies obſervatur libere in memoriam reſurrectionis Domini noſtri, & ad confirmationẽ veritatis reſurrectionis ipſius. Quin & Apoſtoli aliquam anſam dediſſe videri poſſunt, 1 Cor. XVI, 2. ibi enim vult Apoſtolus, ut *primo quoque die hebdomadæ unusquisque apud ſe quid ſeponat, recondens ut theſaurum quod pro Dei benignitate licuerit;* nimirum pro pauperibus.

Ut ſe diſtinguerent Chriſtiani à Judæis, &

ut umbras defererent, utile, consultum, imo necessum fuit, ut alius dies, ac ipse septimus, ad cultus publici exercitium ordinaretur; septimus enim sine superstitione retineri non potuit: nullus autem ex reliquis sex tam aptus erat, nec ob tam validas rationes libere eligi & institui potuit, ac primus ille dies.

XVI.

Unusquisque propter prægnantes rationes obligatus est & obstrictus, hoc die diligenter cœtui sacro interesse, cultui publico vacare; eaque de causa à labore & opere quotidiano die primo cessare, & in libertate Christiana quiescere; nec tantum in publico conventu, sed & privatim domi reliquam illius diei partem quantumpote impendere sanctis pietatis, lectionis S. Scripturæ, meditationis, ceterisque exercitiis.

Nemo potest sine gravi peccato hoc die negligere conventus sacros, & in quotidiano opere esse occupatus. Hebr. X, 25.

Demonstratio.

Qui negligit conventus sacros, 1. contemnit *Sabbathum & quietem* N. T. 2. Communionem sanctorum. 3. Communes preces. 4. Adhortationem ad fidem & bona opera. 5. Bonum ordinem & concordiam. 6. Cognitionem Dei & veram pietatem. 7. Quin & omnia media gratiæ & salutis. Qui media non vult, nec vult finem: qui vero finem vult, vult etiam media.

XVII.

XVII.

Non minus sumus obstricti ad cultum publicum primo die hebdomadæ, ab Ecclesia libere instituto & ordinato, exercendum, ac si in ipso quarto præcepto hic dies in hunc finem esset ordinatus, vel ab ipso Domino Jesu, vel ab ejus Apostolis institutus.

Demonstratio.

Si quis nollet adstringi ad certum diem, æque foret insipiens & absurdus, ac si nollet in eam domum, templum, aliumve locum venire, quem Deus ipse non ordinavit. Nec diem, nec locum, Deus sub N. T. definivit; uterque tamen definiri & ordinari libere ab Ecclesia vel Magistratu debuit.

Similiter quis ineptus & profanus esset, qui nollet sacram Synaxin celebrare, quia Deus tempus S. cœnæ non definivit.

Pariter qui dies supplicationum aut gratiarum actionum observare nollet, quia non à supremo Magistratu edicuntur.

Talia relicta sunt liberæ Ecclesiæ aut Procerum Ecclesiæ definitioni & ordinationi: cui qui se opponit, refractarius est, quietis publicæ perturbator, & religionis contemtor. Deus voluit, *ut omnia ordine fierent*, 1. Cor. XIV, 40. circumstantiæ multæ libere definiri debent. Confer Cocceji Summæ Theol. Cap. 89. §. 8.

XVIII.

Catechesis nostra Dominica 38. non agit de quar-

to præcepto, quatenus id datum fuit Israëlitis sub V. T.

Demonstratio.

Quia ibi nullum est verbum de die *septimo*, sive *die Sabbathi*; nec de cessatione ab omni opere, quæ Israëli fuit injuncta.

Nota, minus recte legi in Belgica versione Catecheseos, *inzonderheit op den Sabbath, dat is op den Rustdag, tot de gemeente Godts neerstelyk koome*; quanquam hæc verba commode explicari possint. Germanice, Latine & Græce legitur, *tum aliis, tum præcipue festis diebus.*

XIX.

Præceptum hoc quartum à Catechista explicatur, quatenus illud Christianis convenit sub N. T.

Demonstratio.

Nam Catechista illud ita interpretatur, ut perfectam obedientiam Sabbathi spiritualis & veri, ejusque observationem ponat pro *fine* & *scopo*; & ostendat *media*, per quæ contendere debemus ad hoc, uti perfectam observationem, quantum fieri potest, consequamur. *Scopus* præcepti est, *perpetuum & æternum Sabbathum in hac vita ordiri.* Quod *Sabbathum* secundum legem operum est *carere peccato*; & in statu gratiæ, *Domino concedere, ut in nobis opus suum faciat per Spiritum suum.* Quod Jes. LVI, 2. & LVIII, 13. venit nomine *Sabbathi*, quia Deus septimo die cessando sive desinendo plura opera facere, per-

pe-

petuam illam ſanctitatem homini indixit: uti & hanc pariter ſignificavit & adumbravit quiete ſeptimi diei.

Media, quæ ad perpetui Sabbathi ſanctificationem faciunt, ſunt vel *privata* ſingulorum, vel paucorum, vel etiam *publica*.

Privata, ut concedamus Domino, *ut per Spiritum S. in me ſuum opus faciat*. Spiritus vero operatur per verbum Dei. Ergo ut id legamus, audiamus, meditemur, ut Deum oremus, &c.

Publicum medium, quod incumbit civitati, eſt, *ut Miniſterium Evangelii, & ſcholæ conſerventur*. Si ea hæc negligant, Patrum familias officium eſt, curare ut ſint conventus, ut fiat inſtitutio, ut ſui liberi erudiantur.

XX.

Neutiquam ergo dicendum eſt, quartum præceptum nos non ſpectare, nec amplius ad quicquam nos obligare; adeoque nos jam ſub N. T. non habere Decalogum, ſive decem præcepta, ſed tantummodo novem.

Demonſtratio.

Patet ex præcedentibus, quod litera nos non ſpectet, nec obliget; ſed res ſignificata & obſignata, per Chriſtum jam adducta, nos obligat ad ſanctificandum omne tempus, ad inchoandum *Sabbathum æternum* in hac vita, & ad omnia media, quæ huic fini inſerviunt.

Speciatim probatur ex Theſi XI. de duplice *Sabbathi* obſervatione.

Porro ex Theſi XIII. ejusque Demonſtratione num. 4.

Sic & ex præc. XIX. ejusque Demonſtratione.

Ita *Urſinus* in Catecheſin, *Sabbathum* diſtinguit in *externum* ſive *cærimoniale*; quod fuit ſignum in quarto præcepto inſtitutũ; quod cum ceteris cærimoniis per Chriſtum eſt abrogatum: & in *ſpirituale & perpetuum*; quod conſiſtit in re ſignificata, ut noſtræ ſanctificationi ſtudeamus, ab operibus malis ceſſemus, & *ordiamur Sabbathum æternum in hac vita.* Quod derivat ex ſcopo præcepti; *ut ad imitationem Dei quoque uno die libere vacemus cultui Dei*, (quod & laudat *Coccejus* in Catech.) & ordine & in libertate Chriſtiana unum *diem ex ſeptem* ordinemus tanquam medium utile ad glorificationem Dei, & noſtri ſanctificationem. *Ad nos pertinere* ait *Sabbathum hoc internum & ſpirituale in lege morali præceptum*, & *Sabbatho cærimoniali ſignificatum.*

Sic in Locis communibus pag. m. 321: *Sabbathum cærimoniale eſt perpetuum usque ad Chriſtum, qui erat finis cærimoniarum, Jer. XXXI. Dan. IX. 2. Sabbathum eſt æternum, quod ad ſignificatum attinet, quod eſt ceſſatio à peccatis, & quies in Deo. Sic enim omnes typi veteres ſunt æterni; & ipſum regnum Davidicum, quod tamen*

men ante adventum Messiæ erat destruendum.

Pag. 322. Deus *liberum Ecclesiæ reliquit alios dies eligere; quæ propter causam probabilem delegit diem primum.* Dein; *salva sua libertate aliter agendi, si sint probabiles causæ; hoc est, sine ulla opinione necessitatis aut cultus.*

Pag. 323. 5. *Sabbathum etiam* dicitur *spiritualis requies, id est, cessatio à peccatis, sive omissio nostrorum operum, & exsecutio operum Dei .... quæ ad ejus cultum & gloriam pertinent. Hoc spirituale Sabbathum in hac vita inchoatur in conversis, & perficitur in æterna.* Dicitur *Sabbathum* Hebr. 4. Jes. LVI,

Coccejus Summæ Theol. Cap. 89. §. 8. *Recordare diei Sabbathi, ut eum sanctifices, hoc in Fœdere operum (ad cujus obedientiam annitimur per resipiscentiam) valet, ut omne tempus . . . sanctificemus. . . .* Idem est cum *amare Deum ex omnibus viribus, & ex omni cogitatione.*

Sic in Catechesin; *Si ex quarto præcepto assumamus illa verba, Recordare diei Sabbathi, ut eum sanctifices: nam Deus sex diebus .... ideo benedixit diei Sabbathi, & sanctificavit eum; habebimus præceptum quod qui fecerit, in eo vivit: & cui addi potest, Maledictus &c. id est, qui ullo tempore ullum peccatum fecerit.* Sed *quia homo id Sabbathum violavit, sanctificari* debet. Deus *vero Israëli dedit aliud Sabbathum carnale;* quod dationem *Sabbathi spiritualis* adumbravit. Hoc nos spectat.

Alii dicunt hoc esse *morale* in quarto præcepto.

Conclusio.

Hinc liquet, hanc explicationem quarti præcepti esse validissimam ad pietatem; quatenus obligamur omne nostrum tempus sanctificare: atque quartum id præceptum nos magis spectare, quam ipsos Israelitas. Illi umbram habebant, nos corpus. Paulus Phil. 3; 2. 3 Judæos *circumcisos* appellat *circumcisionem*: *Nam nos* (ait v. 3.) *sumus circumcisio, qui spiritu colimus Deum*, &c. Sic Judæi, qui anxie observabant *Sabbathum* typicum & *carnale*, (vide Num. XV.) reprehenduntur à Deo, Ezech. 20: 13. quod *Sabbatha sua profanaverint admodum*, non quod contumaciter opus fecerint Sabbatho, sed quod non usi sint Sabbatho ut signo; quodque fidem in Deum sanctificatorem non habuerint, & ad charitatem ex puro corde, conscientia bona & fide non ficta, non sint connixi; sed putarint, hoc *Sabbathizare* & *otiari* esse sanctitatem suam & partem justitiæ suæ. Si nos contra desideremus rem significatam, & habeamus fidem in Deum Sanctificatorem nostrum, & charitatem illam, & quiescamus à malis operibus in hac vita, habemus verum & spirituale

Sabbathum.

II.

JOACHIMI CHRISTIANI JEHRINGII,

Dissertatio Historico-Philologica

De

AHASVERO Estheræ marito, ejusque regno Medo-Persico.

Συνοψις.

§. 1. Quæstio ventilanda proponitur. §. 2. Quid *Ahasveri* nomen significet? & an sit nomen appellativum, omnibus regibus commune? §. 3. Per *Ahasverum*, Estheræ maritum, intelligendus est pater Darii Medi, qui Dan. IX, 1. expresse sic nominatur. §. 4. Historia *imperii Assyriaci* breviter fixitur, & II. Reg. XX, 12. cum II. Chron. XXXIII, 11. confertur & illustratur. §. 5. Historia *regni Babylonici* brevissime exhibetur. Arx Susan jam tum temporis fuit nota. §. 6. Imperium *Medicum* & exinde enatum *Medo-Persicum* cum regibus ejus consideratur. §. 7. & 8. Ad illos quoque pertinent *Ahasverus* & *Darius Medus* Dan. IX, 1. coll. V, 31. Ille est *Astyages*, hic vero Cyaxares II. §. 9. Astyages ille Rex Medo-Persiæ fuit Estheræ maritus. Hoc probatur exinde, (א) quia omnes circumstantiæ produnt, historiam Estheræ tempore captivitatis LXX. annorum jam contigisse. §. 10. (ב)

quia maritus Eſtheræ fuit rex Medo-Perſiæ, quod patet (a) ex titulo ejus regio, (b) ex regionibus & provinciis Medo-Persicis, quas tenuit Ahasverus ille §. 11. (c) ex arce Suſan (d) ex ſtylo ſcribendi, Medo-Perſicis conſueto, itemque (e) ex conſuetudine, quod regem adire nemini licuerit, niſi vocato. §. 12. (f) Quia omnes circumſtantiæ & difficultates facili negotio ſic potuerunt explicari.

§. 1.

ILluſtris ſane & conſideratu digna eſt hiſtoria, quæ in libello, nomen Eſtheræ præferente, à divino ſcript. memoria nobis eſt tradita. Sed difficillima ſtatim circa illius initium oritur quæſtio, *quis ille rex Ahasverus fuerit, qui Eſtheram virginem judaicam duxit uxorem?* Quantopere hac in quæſtione ventilanda viri docti hactenus deſudaverint, etiam illis ignotum eſſe non poteſt, qui à limine tantum ſacram ſalutarunt hiſtoriam, unde opus non eſt, omnes hac de re eruditorum recenſere ſententias. Ad unum omnes illum inter Perſarum reges ſtudent invenire, in quos adeo ſuos defixerunt oculos, ut de aliis vix cogitaverint; ſed tot fere hic ſunt ſententiæ, quot Perſarum reges. Non eſt animus, varias iſtas variorum doctorum virorum ſententias his excutere plagulis, tantummodo in præſens ea, quæ circa propoſitam quæſtionem mihi in mentem venerunt conſideranda, libere proferam, eruditorumque virorum ſubjiciam diſquiſitioni. Fateor, exploratu eam maxime

me esse difficilem, notum enim est, quam crassis historia priscorum temporum prematur tenebris, quamque variis secula illa antiquissima conspersa sint fabulis, ut eluctari exinde pene sit impossibile. Sed hanc antiquorum temporum perpendens obscuritatem, hac in quæstione perscrutanda, ductum Scripturæ sacræ unice, quoad fieri potest, sequi animum induxi meum, nihilque pro vero venditandum putavi, nisi quod Scripturæ sacræ sit probatum, aut eidem non videatur repugnare. Cum ergo Estheræ librum cum illis Scripturæ S. locis, in quibus profanæ historiæ vestigia aliqua adhuc sunt residua, conferrem, maxime probabile mihi visum fuit, regem aliquem Persiæ hic non posse intelligi, sed Mediæ potius seu Medo-Persiæ regem quendam, & quidem Astyagem, Darii Medi patrem, qui Dan. IX, 1. Ahasveri nomine expresse insignitur. Id quod ex circumstantiis istius temporis, conditioneque tum regis prædicti tum gentis judaicæ evinci posse credo.

§. 2. *Ahasveri* nomen Persicum esse plerique non sine fundamento asserunt, alii vero Chaldaicum, ut Judæorum quidam, quemadmodum ex verbis R. Selome ben Melech mox citandis patebit. Significare vero hanc vocem perhibent *magnum caput* seu *magnum principem. Joh. Tob. Major in disputat. de angelis*, referente *B. Geiero in Commentar.*

in

in Daniel. pag. 659. ait, Ahasverum Persis designare majestate præditum, & in summa dignitate constitutum. Et citatus *R. Selomo ben Melech* ita in ככלל יופי fol. מט. col. 3. ad hanc commentatur vocem: כתב הר"ק כי היא מלה מורכבת כי אחש הוא שם הגדול בלשון ארמית רוצה לומר אחש וראש i.e. *Scripsit Rabbi* יוסף קארו מצפת (a) *vocem hanc esse compositam, nam* אחש *est nomen Magni alicujus, in lingua Aramæa seu Chaldaica, quasi dictam* אחש וראש, *i. e. qui magnus & caput est.* Confirmari hoc posse videtur exinde, quod primarii regum Orientalium ministri voce אחש quoque denominentur, e. g. אחשדרפנים Dan. III; 2. item אחשתרנים Esth. VIII, 10. quamvis extra litem nondum sit positum, quid voce inprimis ultima denotetur. Conf. *Pfeifferus in Dub. Vexat. Cent. 3. Loc. XXVII. p. 471, seq.* Ex modo dicta vero significatione porro concludunt, nomen istud non esse proprium sed appellativum, quod cuilibet regi ceu majestatis nomen assignari possit. In quam sententiam eo facilius se induci passi sunt, quod hac ratione Estheram pro arbitrio cum quolibet rege conjungere possent.

An

(a) Hunc per abbreviaturam הר"ק denotari putat Judæus quidam præclarus & scriptorum Rabbinicorum peritus, quem hac de re consuli; nullibi tamen hunc Rabbi allegatum se inveniisse mihi dixit, quemadmodum, nec Buxtorffius ejus meminit in tractatu de abbreviaturis hebraicis.

An vero ſententia hæc firmo nitatur fundamento, nondum ſatis probatum eſſe videtur, cum ad meras tantum redeat conjecturas, & ob modo dictam rationem fortaſſis unice ſit excogitata. Duo nimirum, ut arbitror, reges ſolum hoc ſortiti ſunt nomen, vid. ſq. §. 3., inde vero non ſtatim pro nomine communi, meo quidem judicio, accipi poterit. Et licet quoad ſignificationem omnibus facile tribui poſſit regibus, exinde tamen non ſequitur, eos quoque actu nomine illo fuiſſe decoratos, nam à poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Quod ſi vero nomen Ahasveri communis eſſet regius titulus, & quidem in ſpecie Regum Medorum ſolum, ut *Sanctius apud Geierum l. c. pag.* 659. cenſet, magnum utique pondus ſententiæ accederet meæ. Malo tamen hypotheſin iſtam de nomine appellativo Ahasveri, utpote non ſatis fundatam; nec ulla ſtringenti ratione probatam facere miſſam.

§. 5. Occurrit Ahasveri nomen in ſacris tantum literis, & extra Eſtheræ librum duo tantum reges iſtud ſortiuntur nomen, ſcilicet rex quidam Perſarum, de quo Eſr. IV, 6. & rex quidam Medorum, Darii Medi pater, de quo Dan. IX, 1. Quod ſi nunc de alterutro probari poſſit, quod fuerit Eſtheræ maritus, majorem hoc citra controverſiam mereretur fidem, quam ſi alii regi Ahasveri tribua-

buatur nomen. Quis ille Ahasverus, rex Persarum, fuerit, non adeo clare liquet, alii enim Cambysen, alii Xerxem per illum intelligunt, quod si tamen seriem & ordinem regum Persarum in Esræ capite citato quarto observatum, qui hac in re minime est negligendus, attendamus & cum profana conferamus historia, cum viris præclaris utique erit dicendum, *Xerxem* hic denotari, cum manifesto inter *Darium Hystaspidem* & *Artaxerxem Longimanum* collocetur, confer. *Strauchii Breviarium Chronol.* Lib. IV. C. XXVII: pag. 590. edit. a. 1708. Huic vero (uti nulli Persarum regi) gloriam illam, quod fuerit Estheræ maritus, concedi posse non puto, cum judæis in ædificando templo semper contrarius fuerit, ut ex l. c. patet; benevolentiori vero ista in re sine dubio erga Judæos fuisset animo, si quam ex illorum gente sibi matrimonio junxisset uxorem. Et quamvis multa pro rege hoc Persarum, Xerxe scilicet afferri posse non diffitear, quæ valde speciose urgeri possint, gravissima tamen circa illum remanent dubia, quæ eum gloria illa facile privare poterunt, uti ex doctorum scriptis notum est, conf. infr. §. 9. circa finem. Videndum ergo, anne Ahasverus ille Medorum rex, cujus Daniel Cap. IX, 1. mentionem facit, ille ipse sit, qui Estheram matrimonio sibi junxit?

xit ? Quod omnium optime demonſtrari poſſe, mihi perſuadeo.

§. 4. Ut eo clarius oſtendi hoc poſſit, ante omnia de regibus Aſiæ ſeu ſic dicta Monarchia Aſſyriaca, illiusque diviſione, quam breviſſime fieri poterit, aliquid præmittendum erit, ut qualitatem regni Medici aut Medo-Perſici eo melius inde cognoſcere poſſimus. Optandum vero eſſet, ut hiſtoria antiquiſſimorum illorum ſeculorum tanta non laboraret incertitudine, cum quælibet fere particula hiſtoriæ usque ad Perſarum regnum adeo dubia ſit, ut ne duo quidem ſcriptores inter ſe conveniant. Optime incertitudinem temporum iſtorum oſtendit clariſſimus hiſtoriarum ſcrutator *Cellarius* tam in *Hiſtoria ſua antiqua pag.* 10. *ſeqq.* quam in *diſſert. de Principio regnorum & hiſtoriarum, qua Cteſiæ Cnidii de Aſſyriorum & Medorum, nec non Babyloniorum regibus ſententia examinatur & vanitatis convincitur.* Ductu vero Scripturæ S. ſequentia de Aſſyriorum regno & exinde ortis, breviſſime erunt notanda. Poſt diluvium per multa ſecula, minora Aſiam regna diſtraxerunt, habuit „namque, inquit „Cl. Cellarius diſſ. cit. §. VIII. pag. 8. Baby„lonia ſuum regem, habuit & Elam ſive Per„ſis: habuit Ægyptus, nec aliis regionibus „ſui reges vel reguli defuerunt. Nec de imperii Aſſyriorum vi & magnitudine quicquam legimus, antequam *Phul*, qui fuit

rex

rex Assyriæ, tempore *Menahem* regis Israelis, in Palæstinam venerit; & *Tiglatpileser* rogatu *Achasi* hunc contra Rezinum regem Damascenorum defenderit, II. Reg. XV, 19. 29. & XVI, 7. Tum crevisse Assyriorum potentiam certum est, cujus indubitatum argumentum magna illa deportatio Israelitarum, per *Salmanassarem* tempore Hoseæ ultimi regis Israelitici facta, esse poterit, II. Reg. XVII, 3. seqq. Hanc Assyriorum potentiam *Sanherib*, successor Salmanassaris, non tantum conservavit, sed etiam ampliare allaboravit, uti patet ex II. Reg. XVIII, 17. 33. 34. & XIX, 8. 11. 12. 13. Huic denique Asserhaddon, filius ejus in imperio suffectus est, & quidem circiter decimum quartum aut quintum Hiskiæ annum, II. Reg. XVIII, 13. collat. XIX, 37. An vero post Asserhaddon adhuc alii, *Saosduchinus* in Assyria regnaverint, de eo fortasse dubitandum est. Plerique qui historiarum breviaria edidere, ex falsa fortasse de quatuor mundi Monarchiis hypothesi, ut notum est, tradunt, regnum Assyriacum à Nimrodo usque ad Sardanapalum quendam per annos mille & trecentos quam maxime floruisse, ab hoc autem Arbacis instinctu Medos primum defeciisse, qui aliquot annos totum Assyriorum obtinuerint imperium, Assyrios vero ut & Babylonicos porro se Medorum rursus subtraxisse imperio, ut sic totum Assyriacum im-

imperium in tria, *Medorum* ſcilicet *Aſſyriorum* & *Babyloniorum* fuerit diviſum regna. In hoc autem ſeparato poſt diviſionem imperio Aſſyriaco reges allegatos regnaſſe putant. Quantopere vero hoc à veritate ſit alienum, clariſſime patet ex ſacris literis, conſtat enim ex iis, ante enumeratos reges nullum in Aſſyria tam potentem, ut vulgo ferunt, fuiſſe regem. vid. *Cellarii diſſ. cit.* §. 8. & 9. *item D. Buddei Hiſt. Eccl. V. T. Tom. I, pag.* 970. *usque* 975. Liquet contra ex iis, Medos & Babylonios temporibus regum iſtorum, Aſſyriorum regno adhuc fuiſſe ſubjectos, nam Salmanaſſar Iſraelitas captivos in Mediam abduxit II. Reg. XVII, 6. XVIII, 11. & ex Babyloniæ urbibus colonos accerſivit, inque Palæſtinam ablegavit II. Reg. XVII, 24. manifeſto argumento, Mediam & Babyloniam illius adhuc ſuſtinuiſſe imperium. Quod & circa regem Aſſerhaddon ductu II. Chron. XXXIII, 11. obſervandum erit. Objici quidem ex II. Reg. XX, 12. poſſet, Babyloniam Hiskiæ tempore jam ſuos habuiſſe reges proprios, ſed locum hunc cum Chron. l. c., qui ſibi contrarii videntur, ita conciliari & ex circumſtantiis hiſtoricis explicari poſſe puto, ut *Brodach*, qui Jeſ. XXXIX, 1. *Merodach* dicitur, fuerit primum Vaſallus tantum vel vice rex Aſſyriæ regis, unde in loco parallelo II. Chron. XXXII, 31. (non

enim legatio hoc loco memorata est alia ab illa II.Reg XX, 12. ut Joh. Clericus quidem putat) dicitur, à ducibus (שרים) Babelis legatos ad Hiskiam fuisse missos. Ex quo loco simul concludi posset, plures regis Assyriæ duces, seu gubernatores in Babylonia fuisse constitutos, inter quos Brodach fortassis primarius fuerit, & cujus pater *Beladan*, qui *Nabonassarus* plerumque esse dicitur, itidem sine dubio magnus exstitit dux, ut inde vulgo rex Babyloniæ primus salutetur. Illustrari quoque hæc loca possunt ex Esai. X, 8. ubi Assyriæ duces (שרים) cum regibus æquiparantur, ut sic Babyloniæ præfecti Assyriaci ab auctore libri poster: Regum facile potuerint nominari reges. Maxime probabile vero est, *Berodach*, mortuo Asserhaddone, regnum Babyloniæ sibi arrogasse, & ab illo tempore revera istius regionis fuisse regem, ut ita hoc quoque respectu regis insigniatur titulo. Aut cum quibusdam dicendum erit, Babylonios jam tum habuisse reges proprios, qui tamen Assyriis fuerint tributarii. Conf. *Campeg. Vitringæ Hypotyposis Histor. & Chronolog. sacræ* Period. V. n. XLIII. usque LXI. pag. 69. seqq.

§. 5. Ex dictis vero apparet, usque ad Asserhaddonem regnum Assyriacum fuisse indivisum, ætate vero illius divisionem istius subsecutam, quod quibusdam ansam dedit statuendi, Sardanapalum esse ipsum

Asser-

Asserhaddonem, quasi „ex אסר חדון פול „*Assar Haddon Phul*, quod demtis ἀφώνοις aut „aspiratis literis, quarum nullam rationem „Græci habent, pronuntiatur *Sar Don Pul*, „unde Græci effinxerunt Σαρδανα παλ. Pul „enim sive Phul nomen regium esse, nemini „ignotum. Sunt verba *Cellarii in Hist. antiq. pag.* 13. *not. a.* Conf. quoque ibi citati autores. Sub hoc ergo Asserhaddone aut statim post ejus obitum Babylonii (de Medis dicam deinceps) peculiare regnum, ut §. præcedente indicatum, constituerunt, quod una cum Medico satis diu in Asia maxime florentissimum fuit. Nam post nominatos *Baladan* & *Merodach*, interjectis quibusdam obscurioribus, ad *Nabopolassarum* summa rerum delata fuit, & hoc exstincto, ad *Nabuchodonosarum*, in Scriptura S. *Nebucadnezarum* dictum, qui regno judaico imposuit finem, & à cujus imperii anno primo illustris illa epocha septuaginta annorum captivitatis Babylonicæ initium sumsit, ut erudite & solide demonstravit Clariss. Dn. *Buddæus in Hist. Eccles. V. T. Tom. II. Period. II. sect. V.* §. 1. *pag.* 755. *seqq.* Nebucadnezaro vero successit filius *Evilmerodach*, & huic *Nirigliſſor*, Evilmerodachi sororis maritus, & denique Laborosardochus, Danieli, ut quidam volunt, Belsazar dictus. Ultimus hic communiter Nebucadnezaris *ex filia* nepos fuisse perhibetur, uti quoque Cellarius scribit in *Historia Anti-*

qua pag. 8. de quo tamen merito erit dubitandum, cum Jer. XXVII, 7. expresse ejus nepoti *ex filio* regnum promittatur, dicitur enim בן בנו non בן בתו, unde quoque Belgæ in Versione Dordrac. ad Dan. V, 1. not. 1. Belsazarem appellant Evilmerodachi filium. Hi sunt, qui imperium Babylonicum satis quidem amplum, sed solum tamen, tenuerunt. An vero *Darius Medus* sit *Nabonedus* seu *Nabonadius*, & hisce enumeratis quoque sit accensendus, ac si, ut ceteri, rex tantum fuerit Babyloniæ, quod plurimi asserunt Historici; hoc ex sequentibus erit dijudicandum. In antecessum tamen non possum, quin hic adducam Vitringæ de hoc judicium, qui libr. cit. pag. 102. n. XXXIV, ita scribit: „Certum est, sententiæ Scaligeri & Petavii (Darium scilicet Medum esse Nebonedum) tot fere obstare rationes non exigui ponderis, quot verba in Historia sacra „de Dario Medo leguntur: quare omnino „mirandum esset, potuisse duos viros in hac „scientia principes, quibus nec eruditio defuit, nec perspicacia, in eam consentire, „nisi ambo præjudicium aliquod alte imbibissent, quod ipsis non permisit, Darium „Medum per *Cyaxarem* exponere. Ceterum adhuc hic observandum, quod tempore Belsazaris arx *Susan* jam fuerit nota, uti ex Dan. VIII. 2. videre licet. Ad quod imprimis notandum, Susan expresse בירה arcem

seu

seu regiam vocari, quod argumento esse potest, reges Babyloniæ ibi jam tum saltem subinde resedisse. Unde simul patere poterit, qua forte ratione judæi, qui à rege Babyloniæ captivi abducti sunt, in urbe & arce Susan sedem quoque habuerint, Esth. II, 5. 6. Nec obstat, Susan sitam fuisse in Persia, quæ Medis tunc fuit subjecta, ceu ex dicendis patebit: nam responderi potest, Medos eo tempore totâ nondum potitos fuisse Persia. Sine dubio tractus ille Persiæ, qui postea ab arce Susan *Susiana* est dictus, adhuc imperio Chaldæorum paruit, provincia enim Susiana, in qua arx Susan sita fuit, à Persia quandoque distinguitur, vid. *Cellarii Geograph. S. Cap. XXIII. qu.* 28. Hinc *Marshamus in Can. Chron. Sec. XVIII. pag.* 606. expresse scribit? Eulæus amnis inter *Susiam Babyloniæ* & Elymaidem ditionis Medo-„Persiæ terminus erat. Ad hunc amnem „sita erat *Susa*, maximum *Chaldaici imperii* propugnaculum. Quod si vero cum quibusdam locus Danielis citatus ita explicetur, ac si in visione saltem ibi fuerit Daniel, ut sic Susan tunc temporis regia fuerit regum Medo-Persarum, facile hoc concedi potest, cum hoc meam non evertat sententiam, quamvis, si dicendum quod res est, sententia hæc nulli nitatur firmæ probationi. Sufficit vero hic, Susan arcem tempore regni Medorum jam exstitisse, & sic Plini-

um errare, quando in Hiſtoria mundi naturali Libr. VI. Cap. XXVII. pag. m. 81. ita ſcribit: „Infra eſt Suſiane, in qua vetus re„gia Perſarum *Suſa*, à Dario Hyſtaſpis filio „condita. Cum ergo arx Suſan jam ante Monarchiam Perſicam inſignis fuerit regia; ex hoc fundamento obſtare non poterit, quo minus Eſtheræ hiſtoriam ad tempora ante Cyrum referamus.

§. 6. Nunc regnum Medorum erit conſiderandum, ut inde liquere poſſit, res cum Eſthera geſtas ſub hoc contingere potuiſſe imperio, & hoc optime quadrare Ahasvero illi, de quo nobis nunc ſermo eſt. Regnum ergo hoc ce ab *Arbace*, qui à Sardanapalo, aut potius Aſſerhaddone, defecerit, conditum fuiſſe vulgo aſſeritur, ſed fortaſſis ſine fundamento, nam ſi conjecturare liceat, dicendum forſitan erit, Arbacis nomen eſſe fictitium ex græca voce ἀρπαξ, quo aliquem denotare voluerint, qui Medorum ad ſe rapuerit regnum. *Herodotus* minimum nullam Arbacis facit mentionem, ſed ſimpliciter tantum narrat, Medos ab Aſſyriis defeciſſe primos, & cum Aſſyriis pro libertate præliantes, ſtrenue ſe geſſiſſe, ſicque excuſſo ſervitutis jugo, in libertatem ſeſe aſſeruiſſe *libr.* 1. *Hiſtor. pag.* 40, Cum vero aliquamdiu propriis uſi fuerint legibus, *Deiocem* poſtea regem ſibi conſtituerunt, utpote qui ipſis hactenus jus dixerat, & æquitate

morum.

morumque probitate inclaruerat. Hic solam Medicam subegit nationem, ut porro refert Herodotus l. c. at Deioce defuncto, qui annos tres & quinquaginta regnasse dicitur, filius ejus *Phraortes* suscepit imperium, qui Persis intulit bellum, eosque in potestatem redegit Medorum. Cumque ita per hunc Persia cum Media fuerit conjuncta, exinde, ut res ipsa docet, regnum *Medo-Persicum* est enatum, nam quod ejusmodi regnum exstiterit, satis apparet tam ex literis sacris, vid. infra §. 10. quam ex profanis autoribus, ut ostendit *Marshamus in Canone Chron.* Sec. VIII. pag. 604. Quod autem *Darius Medus* primus hujus regni Medo-Persici rex fuerit, ut Marshamus l. c. statuit, hoc cum rei veritate non convenit, allegatus potius Phraortes primus hoc decorandus erit titulo, ita ut hic & sequentes ejus successores non immerito *reges Medo-Persici* salutentur. Post illius vero obitum, *Cyaxares* filius, successit, qui multo majoribus suis fuit potentior, Assyrios enim præter regnum Babylonicum imo Scythas quoque in suam redegit potestatem, & regni fines ad Halym amnem propagavit. Hunc etiam primum Asiaticos populos in provincias distinxisse, inque suum quoque ordinem distribuisse, tradit Herodotus l. c. p. 43. Cumque vita defungeretur, reliquit *Astyagen* filium; qui triginta quinque annos imperium

tenuit, & sine dubio Babyloniam, quam Pater ejus nondum expugnare potuerat, suo adjecit imperio, ut ex historiæ cohærentia patet, vid. seq. §. 7. & 8. Hic vero communiter Medorum rex habetur ultimus, cujus filia unica, *Madane*, Cyrum enixa sit, de qua, ut hic agam, non est animus mihi, cum ea, quæ de Astyage ejusque filiæ somnio dicuntur, à fabulæ non absint suspicione, uti quoque monet *Franciscus Schaper in Annotationibus ad Sleidanum de quatuor summis imperiis* p. 97. 98. Alii rectius adhuc cum *Xenophonte in Cyropædia libr. I. pag.* 22. Astyagi filium & successorem tribuunt, *Cyaxarem* scilicet *secundum*. qui Cyri socer aut avunculus dicitur. Scaliger quidem, ut inter doctos notum est, & Petavius asseruerunt, Cyaxarem hunc hominem esse novum, & à Xenophonte ad historiam suam belle exornandam fictum. Sed cum Xenophontis (viri ut optimæ dicitur fidei) relatio nihil habeat paradoxi, & omnibus partibus suis pulchre cohæreat, imo cum Scriptura sacra amicissime conspiret: omnino veram illam esse cum viris quibusdam eruditis credendum est, conf. Vitringa l. c. Num. XXXV. seqq. pag. 103. Et si Darius Medus fuerit rex Medorum, ut §. sq. probabitur, & quidem ultimus; Astyagi necessario aliquis erit tribuendus, Astyages namque non fuit idem cum Dario Medo;

nec

nec aliud Scripturæ S. veritas sibi constare non poterit, ut ex seq. §. patebit.

§. 7. Ultimos scilicet duos reges Medo-Persicos Scriptura sacra *Abasverum* & *Darium Medum*, filium, nominat, uti patet ex Dan. IX, 1. collato cum Dan. V, 31. & VI. per totum. Varia autem hic à viris doctis moventur dubia, quinam illi scilicet fuerint? & ac si Darius Medus præsertim inter Medorum reges non sit numerandus, quæ hic omnino erunt tollenda, cum hoc quam maxime ad thesin meam faciat confirmandam & illustrandam. Darium Medum namque ad Chaldaicos tantum referunt reges, ut ille Nabonedus fuerit, de quo *Berosus* & *Megastenes* tradunt, conjuratores convenientes, Laborosardocho peremto, regnum Babylonicum communi tradidisse suffragio illi (Nabonedo) qui fuit ex eadem Babyloniorum conjuratione, nulla cum antecessore conjunctus affinitate, & cui postea Cyrus præfecturam concesserit Carmaniæ. Has circumstantias cum narratione Danielis de Dario Medo optime convenire putant, cum non fuerit Balsazari affinis, nec legatur, armata eum manu aut urbis obsessione regnum nactum esse Babylonicum, cum Dan. V, 31. & IX, 1. simpliciter dicatur, accepisse eum regnum. Sed dubia non exigua hic oriuntur, si sententiam illam paulo inspiciamus penitius, nam inter alia de Nabonedo tra-

dunt, eum ſeptendecim annos tenuiſſe imperium, *vid. Cellar. Hiſtor. antiq. pag.* 8. Dario Medo autem ſecundum Scripturæ ſacræ ductum duo tantum regiminis anni tribui poſſunt; conſtat enim ex Dan. IX, 1. coll. 2. captivitatis Babylonicæ finem, qui citra controverſiam in primum vel ſecundum Cyri annum incidit, & quo ſimul Darii regnum periit, jam primo hujus Darii anno appropinquaſſe, unde neceſſario ſequitur, ab initio regni Darii Medi usque ad finem captivitatis Babylonicæ ſeptendecim non potuiſſe labi annos. Idcirco etiam Philo, Pererius aliique unum tantum aut duos regiminis annos ei aſſignant, ut refert *B. Martinus Geierus in Comment. Dan. pag.* 658. Nabonedus quoque Beroſo dicitur Babylonius, cum contra conſtet, Darium Medicâ ortum fuiſſe ſtirpe. Hinc ſine dubio pace eruditorum virorum, quos ceteroquin magni facio, rejicienda erit ſententia de Nabonedo, quod fuerit Darius Medus; præſertim cum circumſtantia illa quod hic ſine armis regno potitus ſit Babylonico, etiam alia, fortaſſe meliori, ratione explicari poſſit, & anni captivitatis Babylonicæ, ad quos itidem provocatur, etiam alias ſibi optime conſtare poſſint, ut ex dicendis fiet clarius. Rectius ſine dubio dicendum. Nabonedum eundem illum Belſazarem fuiſſe, uti quoque aſſerit Vitringa l. c. pag. 104. nnm. XXXIX. E contra ſi ſacræ

accu-

accurate inſpiciantur literæ, patebit, regnum Babylonicum ſtatim poſt Belſazarem ad Mediæ reges devolutum, atque Darium Medum (& ſic quoque Ahasverum, patrem ejus) non fuiſſe ſolum reges *Babyloniæ* ſed ſimul quoque *Medo-Perſiæ*, quod nunc probandum erit, quemadmodum *Conſtantinus L' Empereur* (ut ſcribit Geierus l. c. p. 442.) idem quoque oſtendit in præfatione ſeu diſcurſu, Commentario Jacchiadæ præmiſſo, ſcilicet (1) prædictum fuerat à Jer. XXVII, 7. ad Nebucadnezaris tantum nepotem, qui fuit Belſazar, regnum Babylonicum eſſe duraturum, poſtea vero etiam illius tempus adventurum, ut gentes amplæ & reges magni ab eo exigant ſervitutem, ſeu illud ſubigant. Sic enim ex linguæ hebraicæ indole phraſin עברו בו ibi explicandam eſſe notum eſt. Jam ſi Darius Medus, ejusque pater Ahasverus, qui poſt nepotem Nebucadnezaris regnum poſſederunt Babylonicum, regiæ non fuiſſent conditionis, vaticinium hoc plene non eſſet impletum, quod vero nemo facile dixerit. Obſtare quidem videtur II. Chron. XXXVI, 20. 21. ubi dicitur, Judæos usque ad regnum Perſicum filiis Nebucadnezaris ſubjectos fore. Sed cum expreſſe apud Danielem Darius Medus, ut rex quoque Babyloniæ, memoretur, qui tamen non fuit ex familia Nebucadnezaris,

cui

cui vero Judæi in captivitate Babylonica quoque paruerunt; hic locus aliter explicari non poterit, quam ut in eo dicatur, fore, ut judæi captivi detineantur sub Nebucadnezaro hujusque filiis & porro usque ad regnum Persarum, unius enim positio, non est alterius exclusio. Unde locus II. Chron. cit. non impedit, quo minus ex loco Jeremiæ cit. probem, post Nebucadnezaris nepotem Babyloniæ regnum ab alio rege fuisse expugnatum, & sic Darium Medum cum Ahasvero jam ante, quam Babyloniæ regnum ad eos fuerit devolutum, reges fuisse. Si autem reges fuerint, facile concedetur, quod Medo-Persici fuerint reges. (2) Hoc quoque potest probari ex Esai. XIII, 17. & Jer. LI, 11. 28. 21. ubi expresse dicitur, Mediæ reges armata manu invasuros esse Babyloniæ regnum, quod impletum non esset, si statuamus, Babylonios, interfecto Belsazare, Darium Medum, qui rex Mediæ non fuerit, regem creasse suum. Quid quod Esa. XXI. 2. & Dan. V, 28. VIII, 20. diserte prædicitur, *Medos & Persas* (per quos non incongrue, secundum regni istius conditionem, reges *Medo-Persici* intelliguntur) occupaturos esse Babyloniam, quod de aliquo Medo, qui non fuerit rex, explicari non potuerit, vid. Abr. *Gulichii Theologia Prophetica de rebus V. T. Period. V. art. XIV. pag. 224.* it.

it. *Bibl. Dordr. Belgic. ad Dan. VIII.* 20. *not.* 90. Objici fortasse potest vaticinia hæc citata per Cyrum, Persarum regem, fuisse impleta. Sed ductu loci cit. Jer. XXVII, 7. utique dicendum est, statim post Belsazarem, Nebucadnezaris nepotem, Babyloniæ regnum à Medo-Persis fuisse expugnatum, præsertim cum Esai. XIII. & Jer. LI. *Medis* occupatio illa adscribatur, quod de Cyro dici facile non poterit, cum non Mediæ sed Persiæ rex in Scriptura S. appelletur. Nec obstat, quod Cyrus Græcis autoribus e. g. Thucydidi, Medus vocetur, & Medi quoque ejus subfuerint imperio: nam licet Medus dicatur, non tamen ullibi Mediæ rex salutatur, uti de expugnatione Babyloniæ Es. XIII. sonat. Et quamvis Cyro paruerint Medi, non tamen ab illis regnum ejus fuit denominatum, cum Persica gens sine dubio sub eo prævaluerit, uti ante Cyrum sub Dario Medo gens Medica præ Persis excelluisse dicenda est. Accedit (3) quod Darius Medus edicta sua secundum Medorum & Persarum leges scribenda jusserit, Dan. VI. 8. 9. 12. 15. quod factum non fuisset, nisi simul illorum fuisset Dominus. Objicitur quidem, eum licet Medis non imperaret, quia tamen è Media erat ortus, constituere potuisse, ut & regum Babylonicorum edicta secundum Medorum statutum essent inviolabilia; insuper verosimile esse, eum

eum Medicæ gentis proceres præcipuis præfeciſſe officiis, & conſuetudines introduxiſſe Medicas. Sed ſufficere puto, omnes prodere circumſtantias, in Scriptura S. traditas, Darium Medum fuiſſe regem Medo-Perſicum. Quod denique (4) provinciæ ejus permultæ, centum ſcilicet & viginti, probare poſſunt, Dan. V, 1. ſic enim ab India usque ad Chus regnum obtinere debuit, uti ex indole regni Ahasveri, de quo hic quæſtio eſt, & cui totidem fere adſcribuntur provinciæ (Eſth. I, 1.) erit concludendum. Tam amplum vero imperium regi Babylonici ſolius regni tribui non poterit. Quod ſi omnia cum profanis non poſſint conciliari ſcriptoribus, hoc nihil refert, nam ſi cum divinis literis non concordent, rejiciendi merito ſunt omnium Chriſtianorum confeſſione.

§. 8. Hiſce, quæ dicta ſunt hactenus, conſideratis, ſecundum Scripturæ S. ductum dicendum erit, regem quendam Medo-Perſicum, quem Ahasverum, patrem Darii Medi, fuiſſe opinor (ut ex dicendis patebit) Belſazarem Babyloniæ regem armis aggreſſum fuiſſe, bellumque contra eum geſſiſſe, in quo Belſazar forte per inſidias & conjurationem interemtus ſit; ut ita rex ille Medo-Perſicus, Ahasverus, regno illius fuerit potitus. Et licet in Daniele ne leviſſimum quidem belli iſtius occurrat veſtigium,

ductu

ductu tamen vaticiniorum §. præced. n. 1. & 2. allegatorum, omnino hoc erit admittendum. *Flavius Josephus* quidem libr. X. Cap. XII. ab initio nulla Nabonedi facta mentione, Cyro atque Dario Medo hocce bellum adscribit, unde quidam loca Danielis mox citanda explicant, ac si Cyrus Babyloniæ regnum Dario ad tempus concesserit, ut sic dicatur, eum accepisse regnum, vid. Bibl. Dordr. Belg. in not. ad C. VI, 1. Daniel: Sed omnia melius sibi constant, si prædicto Ahasvero, patri Darii, hanc solum attribuamus expugnationem, ut sic ab Ahasvero Darius filius regnum Medo-Persicum una cum Babylonico acceperit, & quidem jure hæreditario, quia Dan. V, 31. simpliciter tantum dicitur, accepisse (קִבֵּל) eum regnum, *quod profecto*, ut Cl. Buddeus in Hist. Eccles. V. T. pag. 814. scribit, *de successione longe rectius, quam de bellica acquisitione intelligitur.* Inde tamen non, ut quidam putant, necesse est statuere, Darium Medum Belsazari immediate successisse, non enim verba loci citati sunt continuatio prioris historiæ, sed introductio tantum ad sequentem narrationem. Et Dan. IX, 1. itidem dicitur, Darium (הָמְלַךְ) constitutum esse regem in Chaldæorum regno, non vero illud sibi armis subjeciisse. Sequitur vero exinde, quod probe notandum, patrem ejus, Ahasverum, eadem jam obtinuisse regna, quæ obtinuit

Darius

Darius; & sic porro, Ahasverum illum fuisse regem Medo-Persicum, qui simul Babyloniam sibi subjectam habuit. Quod probasse ad scopum sufficit meum. Et si hoc modo rem exponamus; omnia in Daniele satis apte cohærent, & cum aliis Scripturæ S. locis optime conveniunt. Computus quoque LXX. annorum captivitatis Babylonicæ nihilominus sibi rectissime ita constare potest. Perturbaretur quidem ille, si admitteretur, Cyrum statim post Balsazarem regno potitum esse Chaldaico, sed *si aliquot* anni Ahasveri itemque Darii Medi adhuc addantur, quilibet nullo labore intelliget, LXX. annos facile inde posse provenire. Sic autem forte computus erit instituendus:

Nebucadnezar regnavit annos	43.
Evilmerodach - - -	2
Nirigloſſor - - -	4
Belsazar - - - -	4
Astyagi comode tribuuntur anni qui alias Nabonedi adscribuntur, cum forte tot annos Babyloniæ fuerit rex, reliquo vero tempore tantum in Medo-Persia regnaverit	16.
Darius Medus regnavit -	1.
Summa	70.

Quænam vero hicce *Ahasverus* & *Darius Me-*

Medus, reges Medo-Persici, sortiantur nomina apud paganos scriptores? in eo non conveniunt eruditi. Sed cum hic non liceat mihi esse prolixo, sine recensione & refutatione diversarum sententiarum breviter ita sentiendum esse mihi persuadeo: Ex Daniele scilicet notum est, nominatos modo reges fuisse ultimos regni Medo-Persici, ut §. 7. probatum. Si ergo, ut itidem §. 6. jam monitum est, *Astyages* & *Cyaxares II.* apud ethnicos autores; ultimi in isto regno habeantur; sequitur inde, Astyagem esse Ahasverum & Cyaxarem II. Darium Medum. Communi quoque fere consensu, ut Clariss. Dn. Buddeus notat l. c. pag. 813. olim fuit recepta sententia illa, quæ per Darium Medum Cyaxarem II. intelligit, conf. quoque *Vitringa Hypotypos. hist. sacr. p.* 105. *n. XL.* Et si Darius Medus sit Cyaxares II. sequitur porro sponte, patrem ejus, Ahasverum, fuisse eundem cum Astyage, uti quoque viri quidam eruditi hactenus asseruerunt, vid. *Cl. Buddei Hist. eccles. Tom. II. in Indice Chronol. ad an.* 3405. ubi Astyagem in Scriptura S. Ahasverum vocari dicit. Conf. quoque *Bibliotheca hæc Cl. V. Fasc. I. n.* 9. §. 21. *p.* 32.

§. 9. Hactenus commonstratum esse puto, fuisse regnum aliquod Medo Persicum; cum hoc post Belsazarem Babylonicum bello fuisse conjunctum, & quidem ab Astyage; & hunc Astyagem in Scriptura S. Ahas-

verum fuisse nominatum, cujus filius fuerit Darius Medus. Jam si regni illius, populique judaici conditionem tunc temporis, ceteras item circumstantias rite ponderemus, inprimisque caput VI. Danielis cum Estheræ libro conferamus: quam probabilissime inde colligere poterimus, Astyagen, regem Medo-Persicum & Darii Medi patrem, fuisse Estheræ maritum. Quod ulterius nunc probandum erit. Primo ergo, si conditio populi judaici, prout in libro Estheræ describitur, consideratur, judicandũ erit, eum sub pleno adhuc captivitatis jugo fuisse detentum, innumerabilis enim judæorum in Medo-Persia adhuc erat multitudo, dicit enim Haman Esth. III, 8. populum Judaicum esse dispersum in omnibus regni Ahasveri provinciis, conf. quoque v. 6. it. Cap, IV, 3. contra tempore Cyri quam maxima pars Judæorum & quidem præcipuorum jam in Palæstinam erat reversa, habitabatque rursus in urbibus Israeliticis, ut antea, Esr. II, 64. 65. 70. Et licet universa judæorum gens non simul uno eodemque tempore redierit, imo magna eorum pars patrias nunquam repetierit sedes; si tamen reversio aliqua jam ante Estheræ tempus acciderit, procul dubio judæorum in Palæstina degentium mentio in illius libro fuisset facta, & ad illos quoque sine dubio literæ fuissent datæ de interficiendis hostibus & celebrando festo

Purim

Purim, quales ad alios in aliis regionibus degentes judæos sunt missæ Esth. VIII, 8. 9. 10. 11. & Cap. IX, 30. Imo Judæi Samaritanos in primis, hostes suos infensissimos, plane exstirpassent, si hoc sub rege aliquo Persico accidisset, de quo tamen in narratione cruentæ illius cladis, à judæis gentibus allatæ Esth. IX, 5. nihil legimus; è contra aliunde constat, Samaritanos sub omnibus fere Persiæ regibus semper adhuc judæos infestasse, nec illos ab his unquam fuisse suppressos. Adhæc Estheræ genus suum judaicum celare (ob quam rationem hoc fecerit, nunc disquirere non est opus) à Mardochai injungebatur Esth. II, 10. & 20. celatio vero hæc generis ad tempora regum Persarum minus quadrare videtur, cum gens judaica omnibus regibus satis tunc innotuerit, ut ex Esr. IV. colligere licet. Inprimis circa Darium Hystaspidem & Artaxerxem Longimanum, cum quibus tamen præ ceteris Estheram conjungunt, celatio hæc judaicæ familiæ non invenit locum, ille enim jam anno secundo, hic vero anno septimo regiminis erga judæos se præbuit benignum, ut hinc Mardochai & Esthera nullam habuerint causam, familiam suam in duodecimum usque imperii Ahasveri annum reticendi. Quibus circumstantiis consideratis, historiam Estheræ jam ante Cyrum, tempore captivitatis LXX. annorum, contigisse sta-

tuendum est, quod & Marshamus in Can. Chronico Sec. XVIII. pag. 609. agnovit, dicens: *Contigit certe Estheræ historia inter hæc Babylonicæ captivitatis tempora*; ubi quoque Clementem Alexandrinum in consensum adducit, qui libro I. Stromat. pag. 309. scribit: ἐν τῃ αἰχμαλωσια ταυτῃ γινεται Ἀιθηρ ἡ καὶ Μαρδοχαιος. Hoc porro quoque ex eo, quod de persona Mordochai Esth. II, 5. 6. traditur, elucet, hic enim sub Jochanja rege judæ jam deportatus erat in captivitatem Babylonicam; si ergo Estheræ historia ad tempora *Darii Hystaspidis* aut *Xerxis* aut *Artaxerxis Longimani* referatur, Mordochai annos vixisset centum & ultra, quod pro conditione temporis illius credibile non est. Imo Esthera eo tempore annorum circiter septuaginta fuisset, qua ætate tanta non potuit esse formæ præstantia, ut omnes antecederet puellas. Dicis: Esthera demum nata fuit proxime ante solutionem captivitatis Babylonicæ. Resp. Et sic fuisset virgo 46. circiter annorum, si Xerxi jungenda sit, uti ex annis regiminis Cyri, Cambysis, & Darii Histaspidis computare poterimus; an vero puella quadraginta sex annorum regi adeo grata fuisset, non facile crediderim. Objicitur quidem, abductionem illam in captivitatem Babylonicam non de ipso Mordochai, sed de Kiso proavo ejus intelligendam esse, vid. *Friedlibii* Theologia Exeget. Tom. I. p. 524.

524. Sed ut à proprietate literæ recedamus non eſt opus, cum neceſſitas hic non urgeat, omnia enim, ut ex tota hac tractatione apparet, retento proprio ſenſu facile ſibi conſtare poſſunt; præſertim cum Eſr. II, 2. & Nehem. VII. verſ. 7. commemoretur, jam Cyri tempore Mordachai revertiſſe in Palæſtinam, unde ſub regibus Perſicis non amplius fuit in urbe Suſan. Dubitari equidem poſſet, an ille idem fuerit, cujus in Eſtheræ libro mentio fit; ſed cum ille locis citatis inter ſeniores & principes reduces recenſeatur, nil obſtat, quo minus utrobique eandem intelligamus perſonam, maximam enim illum inter judæos ſibi conciliaſſe autoritatem, negari non poterit ſecundum Eſth. X, 3. Conf. Marshamus l. c. Sec. XVIII. pag. 609. lin. 18. 19. qui hanc itidem de Mordochai profert ſententiam.

§. 10. Satis ergo conſtat, ad tempora epochæ ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ hiſtoriam hanc eſſe referendam. Nunc ſecundo conſiderandum erit ulterius, Ahasverum, Eſtheræ maritum, regem fuiſſe *Medo-Perſicum*, de quo dubitare nequimus, dummodo hunc cum Dario Medo, quem Medo-Perſicum fuiſſe regem ſupra §. 6. probavi, conferamus. Occurrit namque ſtatim titulus regum Medo Perſicorum, quo Ahasverum hnnc expreſſe decoratum fuiſſe, ex Eſther. X, 2. ſatis clare apparet, ubi

Chronicorum regũ *Mediæ & Perſiæ* מלכי מדי ופרס mentio fit. Cum enim res geſtæ regis Ahasveri in iis ſint conſcriptæ, neceſſario inde prona ſequitur conſequentia, Ahasverum & fuiſſe & denominatum eſſe מלך מדי ופרס *regem Mediæ & Perſiæ*, quod per ϵ͗ διὰ δυοῖν more Ebræis uſitatiſſimo dictum eſt, ut hinc quoad ſenſum voces allegatæ ebrææ rectiſſime vertantur: *Reges Medo-Perſiæ*. Unicum hoc argumentum, ſi nullum aliud ſuppeteret, pro confirmanda ſententia mea ſatis eſſe poſſet, expreſſe enim locus citatus teſtatur, Ahasverum fuiſſe regem Medo-Perſiæ. Notari vero ad h. l. meretur, vocem מדי, licet alias poſtponatur, hic tamen in titulo regis præponi, uti Dan. VI. de regionibus Darii Medi legimus. Unde cum Cl. Vitringa facere non poſſumus, cum l. c. pag. 110. n. XLIX. ſcribit, per Ahasverum, qui Eſtheram connubio ſibi copulavit, intelligendum eſſe potentem aliquem Monarcham non *Medo Perſicum*, ſed *Perſo-Medicum*. ac ſi maximum ſit diſcrimen inter regem aliquem Medo-Perſicum & Perſo-Medicum; indeque porro concludit, Monarchas Medicos hic non poſſe intelligi, quia Perſæ paſſim in hiſtoria Eſtheræ Medis præponantur. Præterquam enim, quod Eſth. l. c. vox מדי, ut dictum, diſerte præmittatur; ſimul ex iſta vocum tranſpoſitione apparet, unum idemque in Danielis & Eſtheræ libris intelligi regnum

regnum, & perinde esse, sive dicatur rex Medo-Persicus, sive Perso-Medicus, quemadmodum, ut notat Marshamus l. c. p. 606. Suidæ Zoroastres περσο-μηδης dicitur. Præterea titulus hic, quo Ahasverus rex Medo-Persicus salutatur, nullibi Cyro & ceteris Monarchiæ Persicæ regibus tribuitur, sed hi semper, idque à diversis scriptoribus divinis atque profanis, simpliciter tantum reges Persiæ vocantur sine additione regni Medici, evolve e. g. II. Chron. XXXVI, 22 23. Esr. I, 1. IV, 7. 24. Neh. XII, 22. Dan. X: 1. Hoc probe notandum contra eos, qui forte dicant: Reges Monarchiæ Persicæ quoque facile & jure quidem nominari posse reges Medo-Persicos, aut Perso-Medicos, cum tam Mediam quam Persiam in sua tenuerint potestate. Quamvis enim hoc non negetur, exinde tamen non sequitur, eos quoque revera sic fuisse appellatos, contrarium quippe ex locis patet citatis. Dicis: Dan. VIII, 20. Persicæ Monarchiæ reges tamen dici Reges Medo-Persicos? Resp. locus hic de regibus successive regnaturis planissime intelligitur, ut primo reges Mediæ deinde Persiæ reges intelligantur. Unde manifestum est, Ahasverum non ad Monarchiæ Persicæ reges, sed Medo Persicos potius esse referendum. Ut vero titulus, sic quoque regiones & provinciæ Medo Persiæ ei adscribuntur; non enim tantum, uti quo-

que Dario Medo Dan. VI., Media & Perſia ei fuit ſubjecta Eſth. I. 3. 14 18. ſed numeeus etiam provinciarum Ahasveri maxime ronvenit cum numero provinciarum Darii Medi, regis Medo-Perſici. Ahasverus enim regnavit ab India usque ad Chus, & centum viginti ſeptem tenuit provincias; & tot, minus tantum ſeptem, Darius quoque poſſedit. Convenientia hæc ſane citra controverſiam dilucide docere poteſt, Ahasverum Eſtheræ maritum idem cum Dario Medo poſſediſſe imperium, quod optime ſibi conſtat, ſi per illum hujus intelligamus patrem. Inæqualitas vero illa parva in numero provinciarum facile explicari poterit, dummodo dicamus, Darium Medum imperium à patre acceptum paulo aliter immutaſſe, conjungendo ſcilicet hanc vel illam provinciam, quemadmodem etiam eum loco ſeptem principum patris ſui Eſth. I, 14. tres tantum conſtituiſſe, dicendum eſt Dan. VI, 2. cujusmodi levis mutatio toto die etiam in aliis contingit imperiis. Unde ex hiſce non ſine ratione concluditur, ad Monarcham aliquem Medo Perſicum ob formam regiminis & amplitudinem imperii omnino referri poſſe Eſtheræ hiſtoriam. Obiter circa imperium Ahasveri, Eſth. I, 1. deſcriptum, obſervari poterit, judæos ex Cap. X, 1. & quidem ex vocibus ם"ד & א"י per Kabbalam expiſcari, quot regiones ex illis CXXVII.

in

in terra continenti, & quot insulæ inter eas fuerint, vox מד enim secundum potestatem literarum numericam continet *centum*, & tot regiones in terra continenti fuisse putant; literæ רא autem exhibent XXVII. & tot insulas Ahasvero adscribunt. Supputationem hanc judæus quidam mihi aliquando indicavit, quam tamen omni carere fundamento quilibet facile videt, hinc inter judæorum nugas erit reputanda.

§. 11. Nec obstat arx Susan, quo minus historia hæc regi alicui Medo-Persico tribuatur, non enim demum tempore regum Persarum est exstructa, sed jam tempore Belsazaris regis Babyloniæ exstitit, uti supra §. 5. est probatum. Nec dubium est, quin reges Medo-Persici, victis Babyloniis, hanc arcem sibi quoque regiam elegerint, ubi certis consederint temporibus, cum, ut vox ipsa indicat, locus valde amœnus fuerit, à liliis enim secundum quorundam opinionem sortitus est denominationem. Fortasse hic de Medo-Persicis regibus observari poterit, quod, ut in editione Herodoti supra citata pag. 617. exstat, Athenæus libr. XII. Dipnosoph. de Persicis in genere scribit: διαβοητοι δ' επετυφη εγενοιτο πρωτον παντων ανθρωπων Περσαι, ων και οι βασιλεις εχειμαζον μεν εν Σουσοις, εθεριζον δε εν εκβατανοις, id est, „Primi autem „omnium hominum Persæ celebres luxu „fuerunt: quorum & reges Susis hyema-

„bant, Eckbatanis æstivabant. Quod optime huc quadrat, cum tempore hyemis historia hæc acciderit, uti ex celebratione festi Purim, quod in medium Februarii ut plurimum incidit, apparet. Sed hoc non adeo urgeri posse puto. In probationem vero thesis meæ porro erit attendendum, Ahasverum eodem, quo reges Medo-Persici, stylo scribendi fuisse usum, quando scilicet edicta sua scribi jussit secundum statutum seu morem Medorum & Persarum; ut non violentur, quemadmodum ex collatione Esth. I, 19. cum Dan. VI, 8. 15. patescit, manifesto argumento, eum fuisse regem Medo-Persicum, præsertim cum de regibus Persicis ejusmodi scribendi consuetudinem non legamus. Inprimis vero maxime notatu dignum est, quod ad regem Ahasverum in atrium interius ingredi licuerit nemini, nisi vocato Esth. IV, 11. hunc enim morem apud Medorum reges in usu fuisse constat ex Herodoto, qui Hist. libr. I. pag. 42. Deiocem, Medorum regem primum jam legem hanc sanxisse tradit his verbis: „Primus Deioces cavit, ne cui ad regem in„gredi liceret, sed per internuncios cuncta „transigerentur, adeo ut nec conspici re„gem à quoquam fas esset. Quodque consuetudo hæc ad ejus successores transierit, itidem docet, cum verbis citatis addit: „Hæc ideo faciunt apud regem, ne videlicet

„eum

„eum cernentes æquales & una cum eo edu-
„cati ſtrenui & fortes, indoleant atque in-
„ſidientur, quin potius quiddam à reliquis
„hominibus diverſum ipſis eſſe videatur, ſi
„coram ipſum non intueantur. Optime utique hæc cum Ahasvero Eſtheræ marito, concordant, nec conſuetudo hæc dubitare nos ſinit, eum fuiſſe regem Medo-Perſicum. Sine dubio quoque conſuetudo illa, qua juxta Eſth. II, 14. uxores & concubinæ per vices in orbem ad reges admiſſæ ſunt, apud Medos jam invaluit, unde ad reges Perſicos, Medorum ſucceſſores, illa quoque tranſierit, cum ſecundum Strabonem, teſte *Marshamo in Canone Chronico* Sec. XVIII, pag. 606. Medi Perſis ἀρχηγέται fuerint, eademque fuerint Perſarum inſtituta, quæ olim Medorum. Unde ex eo, quod Herodotus libr. III. Hiſt. pag. 186. edit. cit. de Perſis morem hunc referat, inferri non poterit, apud ſolos Perſas illum fuiſſe in uſu, ut ſic Eſtheræ fata ex hoc fundamento ad Perſarum Monarchiam tantum ſint referenda, cum ſine dubio ſecundum Strabonis verba citata mos ille jam à Medis & Medo-Perſicis fuerit receptus.

§. 12. Ex hac quoque hypotheſi noſtra obſcuriora quædam facili expedire poterimus negotio. Si enim, ut ſupra jam dictum, Ahasverus ille regnum Babyloniæ armata expugnaverit manu, optime conci-

liari

liari poterit, qua ratione judæi ei fuerint ignoti. Cum enim nuper demum ista potitus fuisset regione, hujus incolæ ei nondum fuerunt noti. Aut fortassis simpliciter erit dicendum, reges tunc temporis non adeo sollicitos fuisse, cujus religionis homines sub suo degerent imperio, alias enim usque in duodecimum regiminis annum judæi non potuissent ei esse ignoti Esth. III, 7. 8. Dixeris fortassis, num Ahasverus subditorum suorum adeo incurioſus fuerit ut de judæis in ipsa regia Susan conversantibus nil quicquam inaudiverit? Sed non est, quod mireris, cum Ahasverus ne sollicitus quidem fuerit, ut familiam conjugis suæ dilectissimæ, Estheræ, pernosceret, unde hæc gentem suam & potuit reticere, vid. supra §. 9. Ex hoc vero, quod judæi Ahasvero tamdiu fuerunt ignoti, concludi poterit, Darium Nothum aut Artaxerxem Longimanum ex hoc etiam fundamento non fuisse Estheræ maritum. Illi enim judæi jam anno imperii sui secundo, & huic jam anno septimo erant cogniti, ut ex Esr. IV, 14. & VII, 8. est manifestum, ambo enim reges *illi* in annis memoratis judæis facultatem ædificandi templum Deique cultum restituendi concesserunt, quod sine speciali illorum notitia fieri non potuit. Hinc simul liquet, eximium illum favorem Artaxerxis Longimani, etiamsi ille maritus Estheræ fuisset, erga judæos

dæos non, ut quidam conjiciunt, exinde promanare potuiſſe, quod uxorem ex judæorum genere prognatam habuerit in matrimonio, anno enim imperii ſui ſeptimo, ut dictum, judæis benignum ſe jam præbuit, cum Ahasvero anno demum duodecimo gens judaica innotuerit. Quod vero loca Eſræ citata de duobus memoratis regibus agant, Cl. Buddeus in Hiſt. Eccleſ. V. T. Tom. II. pag. 897. ſeqq. ſolide pro more evincit. Cum ergo poſtea judæi Ahasvero innotuiſſent, atque ab eo ad clavum imperii fuiſſent admoti, Eſth. X, 3. exinde diſpaleſcit, quomodo Daniel ſtatim primo Darii Medi anno inter tres regni gubernatores fuerit conſtitutus, quia ſcilicet patri Ahasvero ob ſapientiam ſuam fortaſſe jam fuit cognitus. Deinde ratio forſitan ex noſtra quoque ſententia reddi poteſt, cur antiquitas ebræa Eſtheræ librum in Codice ſacro ante Danielem collocaverit & cum hoc conjunxerit, quia ſcilicet utrorumque res geſtæ in idem inciderunt tempus, licet Daniel ulteriora adhuc attingat tempora, unde forte poſtpoſitus fuit. Sic enim quatuor illi libelli, Eſtheræ, Danielis, Eſræ & Nehemiæ optime ordine chronologico ſe invicem ſequuntur. Et quamvis libri V. T. non omnino ſecundum temporis ordinem ſint diſpoſiti, non tamen plane temporis ratio in collocandis illis, præſertim in libris hiſtoricis,

neglecta fuit; quod etiam de Eſtheræ libello dicendum eſſe videtur, niſi fortaſſe quis ordinem illum, quem inter Hagiographa nactus eſt, inde deducere velit, quod quinque illi libelli, Megilloth dicti, Canticum nempe, Ruth, Threni, Eccleſiaſtes & Eſther eo collocati ſint ordine, quo judæi eos certis diebus feſtis in ſuis legunt Synagogis. Sed dubitari adhuc poſſet, an lectio illa jam tunc temporis, quo libri iſti in ordinem ſunt reducti, moris fuerit. Ceterum ſecundum noſtram hypotheſin nullo quoque negotio explicari poterit, quod alias mirantur viri quidam docti, quod Eſra & Nehemia nullam Eſtheræ faciant mentionem, nec ejus favore apud regem uſi, quia nimirum Eſtheræ hiſtoria tempore illorum non acciderit; alias enim utique facilius ædificandi templum nacti fuiſſent poteſtatem, & Ahasvero Eſtheræque ſine dubio honorificam feciſſent mentionem. Quærere vero hac ratione quis poſſet: cur ergo apud Danielem nulla hiſtoriæ hujus facta fuerit mentio? Reſp. Daniel ea tantum literis conſignare ſibi propoſuit, quæ ſibi ipſi acciderint, atque cum iis connexionem habeant, uti ipſa libri illius inſpectio ſatis docet. Objici porro quoque fortaſſe poſſet, cur ergo tempore hujus Medo-Perſici regis judæis in patriam revertendi libertas non fuerit conceſſa? ſed reſponderi poteſt, ſic non fuiſſe in fatis,

ſeptua-

ſeptuaginta enim annos captivitas judæorum duratura erat juxta decretum divinum; & eodem modo quæri poſſet, quomodo Daniel à Nebucadnezare, apud quem ſumma erat autoritate, & cui Deus Iſraelitarum tantis ſe manifeſtavit miraculis, impetrare non potuerit, ut Judæis in Palæſtinam redire licuerit? ad quod ſine dubio idem erit reſpondendum. Nec obſtat, Eſtheræ maritum in Fragmentis Eſtheræ vocari Artaxerxem, nam ſcriptum illud apocryphum eſſe notiſſimum eſt, adeoque ſubleſtæ fidei, unde in probatione adduci non poterit. Nec Perſica vocabula plura, in iſto libello obvia, evincere poterunt, ad Perſarum imperium hiſtoriam hanc pertinere, nam Medo-Perſicis regibus, quibus Perſia quoque erat ſubjecta, quique in Perſia quoque ſæpe commorati fuerunt, linguam Perſicam etiam fuiſſe in uſu, negari non poterit, præſertim cum non conſtet, Medos diverſam à Perſica habuiſſe linguam. Omnia ergo ſecundum hactenus factam explicationem aptiſſime inter ſe cohærere puto, unde animus non eſt, argumenta illa omnia, quæ tam pro ſingulis Perſicæ Monarchiæ regibus, quam contra illos urgeri ſolent, prolixe excutere, conferri interim poteſt Cl. Buddei Hiſt. cit. Tom. II. p. 948. ſeqq. Finiam nunc, ubi unico tantum verbo dixero, interpretum Scripturæ S. conſenſu, quem adducere quibusdam moris eſt,

licet

licet non adeo perſpicue ſententiam hanc pertractaverint; me hac in re non plane carere. Teſte enim Pfeiffero in Dubiis vexatis Cent. III. Loc. XXVII. quæſt. 2. p. 482. *Gerhardus Mercator in Chronologia, Temporarius Lib. III. Demonſtr. Chronol. p. 185.* & *Melchior Canus* L. II. LL. c. 6. in eandem hactenus à me demonſtratam iverunt ſententiam; quod & de Clar. *Perkinſio* dicendum, qui in *Specimine Digeſti, ſive Harmonia Bibliorum V. & N. Teſt. Tom. I. operum p.* 1771. Reges, inquit, quorum mentio apud Eſram, Nehemiam, Eſtheram, Da„nielem, fere jam regnat, quos (judicium „D. Gualteri & D. Temporarii ſecutus) hunc „ad modum diſtinguo: Sunt iidem vel Medi „vel Perſæ. Medi duo. Primus Ahasverus „pater Darii Medi Dan. IX, 1. Is Aſtyages „eſt, imperator Medorum & Perſarum, impe„rium habens ab India ad Æthiopiam Ara„bicam, nunquam orbatus imperio à Cyro „Perſarum rege, ut falſo dicunt hiſtorici. „Probabile eſt, eum maritum Heſteræ fuiſſe, „non autem Darium Hiſtaſpis, vel Xerxem „&c. Addit denique: Si quis aliter exiſti„mat, utatur, per me licebit, judicio ſuo: in „his & ſimilibus non contendendum. Quibus verbis eademque mente huic finem imponam tractationi, perſuaſum vero habeo, eum, qui hactenus dicta probe animo ponderaturus ſit, facile de tota judicium ferre poſſe quæſtione.

III.

III.

Enarratio exegetica Psalmi CXVIII. ex meditatione J. C. HARENBERGI.

SUMMA.

§. 1. Versio præmitttitur & in notulis adsperſis ratio translationis quarundam vocum redditur. §. 2. Quare ſenſus litteralis agere videatur de Judæ Maccabæi, typi Meſſiani, repurgatione & introitu templi Hieroſolymitani. §. 3. Quare Judas Maccabæus fuerit Chriſti typus. §. 4. Lapis contemtus, dein magni habitus manifeſte Meſſiæ eſt ſignum, ob figuras & imagines luculentiſſimas, ut etiam quidam Judæi agnoverunt pro vero. §. 5. עבותים *implexi ſalicum rami ſunt, quos etiam Judæi in honorem Chriſti antitypi Hieroſolymæ ingreſſi & repurgaturi amputarunt & ſparſim erexerunt Chriſto obviam & ad latera, reputantes eum pro altari holocauſti perfectiſſimo, uti §. 6. docetur. §. 7.* אמילם *interpretatus ſum: AD CIRCUMCISIONEM SUSCIPIENDAM INVITABO ILLOS, cujus rei argumenta adferuntur.*

§. 1.

ANtequam ex momentis rite perpenſis tempus & occaſionem Pſalmi hujus, vel potius Odæ ſacræ doceam, verſio perſpicua, ad amuſſim ebraicæ veritatis exacta, mihi videtur præmittenda, quo lector eo facilius nervum ſententiæ comprehendere queat.

Inſcriptio nulla adeſt. Quare ad rem ipſam ſtatim veniamus, 1. *Celebrate Numen* (a) *neceſſario per ſeſe ſubſiſtens, nam bonum* eſt, fuit & erit : *nam perpetuus eſt amor ejus* (b) *juſtiſſimus.* v. 2. *Ingeminet, quæſo, Iſrael illud : Perpetuus* (c) *eſt amor ejus.* v. 3. *Ingeminent ; quæſo, Aaronidæ illud : Perpetuus eſt amor ejus.* v. 4. *Ingeminent, ſane ſectatores Numinis illud : Perpetuus eſt amor ejus.* v. 5. *Ex circumſeſſione ad Numen ſubmiſſa voce me converti ; Adnuit mihi data reſpiratione* (d) *& auxilio*

(a) Hæc vis latet in voce יהוה ab הוה ſeu היה *eſſe*, quia quicquid præter Deum eſt, aliquando non fecit, & contingenter eſt, quia etiam non eſſe, & aliter eſſe poteſt, immo aliena vi & potentia exſiſtit. Deus eſt, qui eſſentiis dedit ſuum formale per intellectum, ſuam exiſtentiam vero per voluntatem. Quicunque igitur proprie Jehova eſt, ille eſt Deus neceſſario & æternum ſubſiſtens.

(b) חסיד & חסד dicitur tam de Deo quam hominibus, ergo amor juſtus, qualis utrinque adeſſe debet, innuitur.

(c) עולם perpetuitas determinatur ex continuatione exiſtentiæ ejus rei, cui tribuitur. Sed Deus abſolute neceſſarius & æternus eſt. Ergo perpetuitas Infiniti gradus & nunquam ceſſatura heic indicatur.

(d) מרחב laxitas, latitudo, opponitur voci צרה ideoque notat, ut ישע & ישועה quod itidem voci צרה opponitur, *omnis felicitatis abundantiam, copiarumque vim.* Vid. *Origines Ebrææ* Alberti SCHULTENS, T. I. L. I. Proleg. §. 26. 27. pag. 18. ſq.

xilio idem *Numen*. v. 6. *Numen MIHI*, (e) *non expaveſcam. Quid*, eo tegente *faciet MIHI homo!* v. 7. *Numen mihi pro auxiliatoribus meis* eſt, *quare ego fruar voluptate* (f) *de oſoribus meis*. v. 8. *Præſtat inniti Numini, quam fiduciam conlocare in homine*. v. 9. *Præſtat niti Numine, quam confidere in Principibus*. v. 10. *Omnes circumquaque populi cingunt me; Per Numen vero circumcidendos* (g) *curabo illos*. v. 11. *Cingunt me, cingunt me, inquam; Per Numen vero circumcidendos curabo illos*. v. 12. *Cingunt me in modum apum: exardeſcunt ut ignis ſpinarum*; (h) *In nomine Numinis vero circumcidendos curabo illos*, v. 13. *Impellis me vehementer* (i) *ad la-*

(e) Egregia repetitio voculæ לי; oppoſita ſignificatione.

(f) ראה & *voluptate frui*, poſcente oratione. Conf. Eccleſ. I. 14. III. 13. præcipue, ſi ב præfixum ſequitur. e. g. Eccl. I. 11.

(g) Alii: concidam, exſcindam, occidam illos. At מול de circumciſione legali & externa & animi vulgo adhibetur 2) Altera notio eſt ex hac deflexa per translationem, ergo primariæ notioni tamdiu inhærendum, usquedum cohærentia vel emergens inconcinnitas aliud ſuadent. 3) צריקים defendebant ſe, non offendebant. 4) Accedit dein alia ratio ſpecialis ex Maccabæi temporis momento. 5) Chaldæus אֶתְשְׁנוּן *immutabo illos*, a שנה, non שנן acuere.

(h) Ignis ejusmodi & furit acriter & difficulter exſtinguitur & exſtincturo infert læſionem.

(i) דחה דחיתני *impellendo impulit me*. Putant emphaſin

bendum ; Verum Numen auxiliatur mihi. v. 14. *Vox, clangor, & ampla ſalus* (k) *ſunt in tabernaculis juſtorum ,* (l) *nam dextra Numinis præbuit vim exercitus.* v. 15. *Dextra Domini magnificam ſeſe oſtendit. Dextra Domini præbuit vim exercitui.* v. 16. *Non pereo, ſed vivo , ideoque enarro factum Numinis.* v. 17. *Caſtigavit me Numen quidem , ſed exitio me non dedit.* v. 18. *Aperite mihi januas juſtitiæ* plenas : (m) *intrabo illas : celebrabo Numen.* v. 19. *Hæc porta Numini* ſacra eſt , *juſti* (ſectatores illius Numinis) *introëant* igitur *per eam.* v. 20. *Celebro Te , quia adnuiſti petitioni meæ : Eſto porro mihi inſtar ſalutis copioſiſſimæ* v. 21. *Lapidem repudiarunt , qui ſtruxerant* altare novum.

At

phaſin ſubeſſe ejusmodi ſtructuræ ejusdem verbi. Vid. Glaſſii *Philoſoph. Sacr.* L. III. Tr. 3. *Can.* 37. p. 350. ſqq. Idque merito , quia repetitio ejusdem vocis citra aliam intervenientem in omnibus linguis, quas ego quidem novi, emphaſin notat. Fruſtra eſt Clericus in Arte Critica, id pernegans P. II. Sect. I. cap. IV. §. 3. 4.

(k) ישועה abundantia felicitatis & copioſiſſima dilatatio animi copiarumque. Albertus Schultens l. c.

(l) צדיקים ſunt, qui qualitercunque , integra tamen mente, voluntati divinitus revelatæ in V. T. conſtantiſſime adhæſerunt. Ita Talmudici etiam adhibent.

(m) שערי צדק dicuntur portæ templi, tam ob inſtitutum Dei juſtiſſimum frequentandi illas, quam quia munditiem & juſtitiam ab adeuntibus requirebant, immo etiam eo quod Meſſias צדקנו *juſtitia noſtra* ibi adumbraretur.

At factus est apex anguli. v. 22. *A Numinis gratia factum est* (n) *hoc: Hoc est quod stuporis plenum videtur animis nostris.* v. 23. *Hunc diem adornavit Numen. Exsultemus & letemur in eo.* v. 24. *Age numen, auxilium præsta nunc: Age Numen, prosperum successum largire nunc.* v. 25. *Celebratissimus est ille, qui intrat in nomine Numinis. Celebramus vos ex æde Numinis.* v. 26. *Fortis heros, Numen est, & is lucem* (gratiam) *concessit nobis.* Quare *separate* (o) *festum* (p) σκηνοπηγιας *per frondes* (q) *densas*, agitando illas *usque ad cornua altaris.* v. 27. *Fortis heros meus es Tu, quare celebrabo Te: Deus mi, laudibus extollam te.* v. 28. *Celebrate Numen, nam benignum est: nam perpetuus est amor ejus.*

§. II. Oda hæc sacra Esaiæ circiter ævo conscripta, est epinicium symbolumque victoriarum, quas Judas Maccabæus a Syris reportavit, in præsentissimum ac magnificum Christi summi triumphatoris typum. Decantata fuit illa publice ad victricia arma Judæ, templum repurgatum de-

(n) Ad factum omne præcedens mysticum voculam זאת contuli, quia id est genii Ebraici. Conf. Glassius l. c. L. III. *Tract.* 1. *can.* 19. p. 74.

(o) אסר est generatim *separare*, ut זרה, סור, deinde speciatim *separare a grege* per ligationem, vel ethice *ab actionibus* per interdictionem.

(p) חג ita significat, nude positum.

(q) עבותים sunt quævis implexa & densa, e. g. funes, frondes. Ob rem ipsam h. l. densæ frondes, salices.

denuo intrantis. Si cui ea de re dubium est, id facillime dispelletur ex debita consideratione loci 1. Macc. IV. 54. 55. Κατα τον καιρον ηϕ κατα την ήμεραν, ἐν ᾗ εβεβηλωσαν αυτο τα ἐθνη, εν εκεινη ενεκαινισθη εν ωδαις ϗ κιθαραις ϗ κινυραις ηϕ εν κυμβαλοις. Και επεσον πας ὁ λαος επι προσωπον, ηϕ προσεκυνησαν, ηϕ ευλογησαν εις καιρον τον ευωδωσαντα αυτοις (הורו לשמים מצליח להם in Ebraismo.) *Circa id temporis ac ad illum diem, quo profanarant illud* (templum) *non recutiti, ad illum diem*, inquam, *initiatum est hymnis, & citharis & cinyris & cymbalis.* Quam vero Odam cantare solebant? Id innotescit partim ex הצליח נא partim ex inciso 24. Και επιστρεφεντες ὑμνουν ηϕ ευλογουν εις καιρον τον κυριον, ὁτι καλον, ὁτι εις τον αιωνα το ελεος αυτου: *Et reversi hymnis celebrabant & dilaudabant Deum Dominum, quod benignus, quod in æternum misericordia ejus.* Præsto quidem est alius Psalmus, videlicet CXXXVI. cujus idem est exordium, sed is indubie Davidis ætate compositus est, ut patet ex 1. Paral. XVI. 34. nam singula incisa ibi singulas designant odas, partim superstites, partim deperditas. Namque quum Psalmus noster in tempora Davidica non quadret, & CXXXVI. ad Maccabæos commode referri nequeat, rationes aliæ accedentes magisque ponderosæ, Psalmum nostrum Judæ tempore decantatum, ideoque tum compositum esse, suadent. Rationes illæ

illæ aliæ ſunt ſequentes. α) Epinicion de devictis hoſtibus in hac Oda latere, omne inciſum indicat. β) Inſignis caſtigatio & depreſſio eccleſiæ triumphum præcedens innuitur v. 17. γ) Introitus templi novus indicatur v. 18. 19. δ) חג (r) & עבותים peculiarem ſolemnitatem σκηνοπηγιας indicant. (s) עבותים ſunt κλαδοι ὡραιοι denſique ad cornua altaris adſurgentes, tum primum in ſacra invecti. חג non eſt victima. Nec victimæ ad cornua altaris tollebantur vel ligabantur, ſi ad altare usque, quidni ad pavimentum vel filum rubrum? ε) Omnes vicini populi non alia vice, iisdem ſtantibus reliquis momentis, juſtos piosque cingebant. ς) Adde *tabernacula juſtorum.*

§. 3. Non tamen ideo Chriſtum heic volo excluſum, ſed potius incluſum. Ut enim

(r) חג eſt σκηνοπηγια. Middoth. c. III. m. 4. II. m. 6.

(s) Repurgatio illa publica & inſtaurata ſolemnitas incidebat in XXV. Casleu (circiter noſtrum Decembrem videturque inde natalis Jeſu in eum diem translatus) qui feſtus & decoratus erat primis encæniis. At encænia illa erant repetitio feſti tabernaculorum ſolemnis, quod paullo ante in ſpeluncis juſte celebrare nequiverant. Erant igitur encænia tum חג. Vid. 2. Macc. X. 3. 6. 7. Μετ' ευφροσυνης ηγον ἡμερας οκτω σκηνωμαίων τροπον - -

omnes vere pii sunt imago & splendor Christi, quia cum Christo moriuntur, resurgunt-que, patiuntur & regnant, ita ille typus constanter in V. T. conspicua satis ratione, fuit expressus. Judas vero Maccabæus præcipue Christi est imago. Is enim α) erat sacerdos. Christus etiam, licet alio modo. β) Judas erat caput piorum & חסידים ὁσιων; Christus itidem, sed illustrius. γ) Judas solo fretus Deo repugnabat hostibus; Christus, ab hominibus & angelis aliquando desertus, nihilo secius oppugnabat amicos, sed sublimiori pacto. δ) Judas templi erat instaurator: Christus mystici sui templi, ecclesiæ, perpetuus est instaurator. ε) Judas adservabat suos, ne polluerentur doctrina & moribus gentium; Christus munit suos a corruptelis hæreseon & mundi fecibus laborantis. ς) Judas ab omnibus populis circumvicinis deserebatur, & a multis suorum; Sic Christus etiam idque majori desertione. (ζ Sed Judas vincebat & triumphabat; Sic Christus in æternum de suis hostibus triumphat. η) Maccabæi dicuntur vexillis inscripsisse מכבאי ex Exod. XV. 3. Quis est sicut Christus, מי כאל?

§. 4. Lapidem, quem primarium posuerunt exstructores & instauratores altaris, flocci fecerant Syri & ipsi antea Judæi. De Chasidæis dicitur; (t) Και ελαβον λιθους ὁλοκλη

(t) 1. Macc. IV. 47. Conf. Gorionides L. III. c. 13.

κληρους κατα τον νομον και ωκοδομησαν το θυσιαστηριον καινον κατα το προτερον. *Et ceperunt lapides integros ſecundam legem & exſtruerunt altare novum, ut prius.* Sic Chriſtus λιθος ἐλοκληρος ab omnibus ſpretus, factus eſt in caput anguli. Huc præcipue iſtud reſpicit, quod de *mirabili EVENTU* (u) additur. Namque ſummum eſt miraculum, Chriſtum probra & vilipendium ſubiiſſe ad nos evehendos, & altare nobis digniſſimum præbendum. Non erat tanto mirandum opere, lapidem, terræ adfixum, novo altari adhibitum eſſe. Sed de antitypo id mirandum eſt. שערים *portae* priores erant κατακεκαυμεναι, combuſtæ (x) verum Maccabæi ωκοδομησαν τα ἁγια και τα εντος τε οικε (y) *exſtruxerunt ſancta & interna domus.* Per novas illas portas novus fiebat introitus, poſtquam ανεβησαν εις ορος Σιων *aſcenderant in montem Sion.* Porta noſtra ipſe Chriſtus eſt, pulcrior illâ ſpecioſâ, πυλη ὡραια, per quam unice ſanctis eſt ingrediendum. Jo. X. 7. 9. De introitu per hanc portam gloriantur & exſultant Chaſidæi N. T. ibique ישועה immo ישוע inveniunt. Lapis fundamenti (z) heic

Joſephus Antiqu. L. XII. c. 11. 2. Macc. X. v. 1. ſqq.

(u) Matth. XXI. 42. 1. Pet. II. 7.

(x) verſ. 38.

(y) verſ. 48.

(z) *Abundantiam ſaluberrimam*, & effectum, & Chriſtum auctorem ſalutis.

(a) nequit intelligi, quia exſtructores eum nunquam repudiarunt vel ſpreverunt. Interim inſigne veritatis divinæ præſidium eſt, quod ipſi Judæi per *lapidem contemtum* deſignent Meſſiam. R. Salomo ad Mich. V. 1. ממך יצא לי משיח בן דוד וכן הוא אומר אבן מאסו הבונים *Ex te exibit mihi Meſſias, & ita ille* (Hieropſaltes) *canit: Lapidem repudiarunt ædificantes.* Solet alias hic Rabbinus loca de Meſſiæ obtorto jugulo aliorſum trahere, quo magis mirandum eſt, eum heic veritati indulgere debuiſſe. Lapis hic manifeſtam Chriſti continet dulcedinem. Ut 1) ille fuit antea a Judæis & Syris, Gentilibus, inſuper habitus, ſic Chriſtus ab utrisque initio opprobriis & vilipendio fuit calcatus & exceptus. 2) Ut architecti eum floccifecerunt antea, ſic, qui operibus, ſuperſtitionibus & traditionibus humanis inædificarant, aliquando magnam partem Chriſtum ſuſceperunt & honorarunt. 3) Ut lapis ille erat purus & ὁλόκληρος, non fractus, vel interciſus: Sic Chriſtus eſt ſanctus, integer, nec in cruce fractus. Unus eſt Chriſtus, dividi nequit. 4) In caput anguli lapis ille erigebatur. Sic Chriſtus caput eſt & fundamentum ſuæ eccleſiæ. 5) Lapis ille holocauſtum, expiationis locum firmabat. Sic Chriſtus noſtram expiationem firmat & perfectam

(a) At, quomodo heic intelligi queat, oſtendi in diſſ. de אבן שתיה Cap. IV. §. 25. 26. T. d. H.

tam nobis ſemper adſervat. 6) Lapis ille in incendio templi manſit nec liquefactus eſt. Sic Chriſtus manet in æternum, & in ipſo incendio pantocritico perſtabit. 7) Peculiari divina providentia acciderat, ut lapis ille, antea pro tali non agnitus, evaderet honoratiſſimus: Sic, Deo ſingulariter & mirificiſſime diſpenſante, Chriſtus, in terra, agnoſceretur deinde ſanctiſſimus, & locus eſſet, ad quem peccata expiaturi, accurrunt. 8) Ut jaceretur lapis ille pro fundamento, removendi prius erant lapides arae, quam Syri ex cæſis lapidibus ſtruxerant (b) Ita Chriſtus non poteſt juſte fundamentum & altare noſtrum exſiſtere, niſi antea ſordes & impuritates a carne electæ, evectæ & adoratæ ejiciantur & repurgentur. Repurga, o Chriſte, mentem noſtram, ut tuæ gratiæ fiamus capaces. Venuſta eſt ſeries meditationum Targumiſtæ hoc loco in hanc ſententiam: סליא שביקו ארדיכליא הוא ביני בניא דישי וזכאה לא תמנאה למליך ושולטן: *Puerum* (filium) *neglexerunt architecti, ipſe erat inter filios Iſai & quidem dignus, qui conſtitue-*

(b) Gorionides l. c. יהודה-וכל עדת החסידים אשר היו עמו באו אל ירושלם ויהרסו את כל המזבחות אשר בנו העמים-ויבנו מזבח חדש *Judas-& univerſus piorum cœtus, qui cum ipſo erat, Hieroſolymam venerunt & altaria omnia, quæ gentes exſtruxerant, diruerunt -- novamque ædificarunt aram.* Conf. Miſchn. in *Tr. Middoth.* c. III. §. 4.

tueretur in Regem & Imperatorem. Insigne testimonium recutiti pro nostro Jesu! Nervus illius vividæ cogitationis defluxit ex vocibus אבן & ראש & בן & יִשַׁי quarum prior *lapidem & filium*, posterior *caput & dominum* notat. Additur eleganter & vere nativitas & origo Messiæ ex Isai ob Es. XI. 1. Unde miselli Judæi hodie conligent, quis ipsorum sit ex posteris Isai? Illi nequidem norunt rationem distinctam ejus tribus, unde oriundi sunt. O cæcam gentem! sed nostris oneribus & jugis exasperatam & induratam!

§. 7. Ut vero intelligatur, quid illo die, quo justi *tabernacula* tenebant, de salicibus עבותים *frontibus*, ad cornua usque altaris adsurgentibus, actum fuerit, ideo expendamus quæso salicem, non illam quæ fuit in לולב, sed qua altare Judæi circumdabant in festo tabernaculorum. Quod illa salix ea aetate (c) ex sincero animo in sacra σκηνοπηγιας invecta fuerit, de eo satis constare puto. Morem illum delineant recutiti in Tr. de tabernaculo: (d) מצות ערבה ניצר מקום היה למטה מירושלים ונקרא מוצא

יורדין לשם ומלקיטין משם מרביו של ערבה ובאין ומקפין בורן מצחי במזבח וראשהן כפופין על גבי המזב

(c) Buxtorfius in Lexico p. 992. ex Lev. XXIII. 40. hunc morem repetit. Ita etiam alii. Sed citra rationem sufficientem.

המזבח תקעו והריעו ותקעו בכול יום מקיפין את המזבח פעם אחת ואומרים אנא ה׳ הושיעה נא אנא ה׳ הצליחה נא ר׳ יהורה אומר אני והו (e) הושיעה נא ואותו היום מקיפין את המזבח שבעה פעמים בשעה פטירתן מה הן אומרי יופי לך מזבח: *Præceptum de ſalicibus quomodo ſe habet? Locus eſt infra Hieroſolymam, vocatus exitus. Deſcendebant eoindeque co nligebant frondes* (e) *ſalicum, & pergebant & erigebant illas a latere altaris, apicesq; illarum flectebantur ad altare. Clangebant ſimul tuba ſono æquabili, & dein ſono fracto. Tum rurſus clangebant ſono æquabili. Singulis diebus circumibant altare ſemel, cantantes: Age, Numen, auxilium præſta nunc! Age, Numen proſperum ſucceſſum concede nunc. Rabbi Juda dicit*, eos dixiſſe duntaxat hæc verba; *Age, Domine, auxilium præſta nunc. Et illo die* (ſeptimo) *circumibant altare ſepties. Tempore diſceſſus ſui quid dicebant?* Dicebant: *Pulcritudo tibi, altare!* Paullo ante diſcrimen additur ſeptidui & ſextidui variantis, quo illæ ſalices ad altare holocauſti fuerunt agitatæ m. 3. hoc modo: ערבה שבעה כיצד יום שביעי של ערבה שחל להיות בשבת ערבה שבעה ושאר כל

(d) סוכה c. IV. m. 5. ſq.

(e) Raſchi ad h. l. בגימטריא אנא ה׳ Per Kabbalam litteralem, quæ dicitur Gematria, אני והו idem eſt ac אנא יהיה *obſecro, age, Numen*, videlicet utrobique emergit numerus 240. Apage nugas Judaicas!

כל הימים ששה: *Salices quomodo sunt septiduanæ? Si dies VII.* ששה *protrahitur in sabbatum, salices septem diebus circumponuntur altari, & reliquis omnibus diebus tantum per* (f) *sex dies.* Salices illas XI. cubitis fuisse altas, Gemara docet. (g) Non ausim adfirmare, minutias illas rituales prima vice tam curate fuisse excogitatas vel observatas, nam Pharisæi eis cumulandis postmodo unice studebant. Interim perstat res ipsa. עבותים densas frondes arborum notant, ut ex Ez. VI. 24. & re ipsa liquet. Chrysostomus & Gallica versio *densos ramos* etiam habuere ob oculos. Non tamen nego, plurimas versiones ipsosque Rabbinos *victimas epulares* respexisse. Augustus Pfeifferus heic vidit aliquid, sed non pervidit. Lutherus quadrat ad meam sententiam, si pro *Meyen* substituas *Weydenzweige*, sed Lutherus ex more Germanis usitato vertit, ubi palmæ festum palmarum penes Pontificios ornant, & betularum frondes & arborum, quæ dicuntur *Sölweyden*, *Flitter Mey*, adhibent penes Lutheranos in festo Pentecostali. Ceterum mos ille 1720. in Ducatu Brunsuicensi publice sublatus est, non tamen in templo cathedrali Gandersheimensi. Pulcra pietas! Lignis abuti.

(f) מרביות sunt ענפים גדולים frondes magnæ. Rafchi h. l.

(g) Judæi heic mysteria scrutantur. Vid. עצרת h. l.

abutimur & culcitras dormientibus præbemus. Solebant vero, ut ad res Ebræorum revertamur, ſalices veſpere, ſabbatum præcedente, templo inferri & in aureis vaſis deponi, ne marceſcerent; die autem ſequente erigebantur circa altare, ut populus accedens inde eas tolleret, die feſti ſeptimo tantum. (h)

§. 6. Introitus Servatoris Hieroſolymitanus heic ſimul typice delineatur, namque 1) Chriſtus tum Pſalmum noſtrum Phariſæis revocavit in memoriam, præcipue inciſum de *lapide repudiato* Matth. XXI. 42. 2) Populus utique divinitus ita fieri intelligebat ad implendos typos & vaticinia. Quare, ut alias in feſto tabernaculorum fieri ſolebat. εκοπτον κλαδους απο των δενδρων και εστρωννυον εν τη ὁδω, *amputabant frondes ab arboribus* (i) & agitatas, hinc & inde *in via ſparſim* (k) *ponebant*. Ad montem olivarum hoc factum fuit in vicinia templi, ubi ſalices alias ſolebant decerpi vel ſcindi. Inde ad aram holocauſti, expiatorem Jeſum feſtinabant, ſalicesque arcte contiguas in terra ſtatuebant, & ita ramis utrinque dependentibus, immo ipſis ſalicum denſis ſtatuminibus terram texe-

(h) In סוכה. 45. 1.
(i) Maimon. *de faſciculo feſti tabern.* cap. II. §. 15. ſq.
(k) verſ. 8.
(l) στρωννυειν *ſternere* ſæpius eſt paſſim, ſparſim ponere

&

xerunt ac ſtraverunt. 3) Eo ipſo verſum 24. noſtri Pſalmi decantarunt, addentes quædam promiſcue, quorum plurimi in hanc ſententiam concinuerunt : הושיע נא בן דוד בריך הבא בשם יהוה הושיע נא מרומם *Libera* (nos) *nunc, fili David. Benedictus* (m) *qui venit in nomine Domini. Serva nunc, qui es in altis.* Crediderim utique, hanc eſſe ſummam hymni, qui conſtitit ex inciſis 24. 25-28. quæ ex *Hallel* Judæis erant notiſſima, cum acclamatione prævia בן דוד ex myſtica explicatione vocis אבן ابن, quam Targumiſta jam amplexus eſt. הושיע נא eſt ex v. 24. ברוך הבא בשם יהוה eſt ex v. 25. Ἐν ὑψίστοις eſt אל & ארוממך ex v. 27. Hæc mea eſt conjectura, Quod vero aſino jeſus

locare. Curtius L. IX. c. 6. n. 7. *claſſibus maria conſternere* ſcribens, non intelligit continuitatem navium in toto mari, excluſis omnibus interſtitiis.

(m) Hac occaſione tangenda eſt illa Chriſti prædictio (Matth. XXIII. 39.) vindictæ in *Judæos* perpetuæ index : *Non videbitis me deinceps, donec dicatis : Benedictus ſit, qui venit in nomine Domini.* Indicatur Chriſti adventus ad ultimum judicium, at ubi Judæi contremiſcent, nec exſultabundi ita damnabunt. Videri poſſet Chriſtus novum introitum Hieroſolymis promiſiſſe. Sed ſignum pro re ſignata ponitur. Signum victoris ac triumphantis in modum Hieroſolyma ingreſſi Maccabæi fuerat, decantare illa verba. Victoria innuitur Chriſti univerſalis & introitus ultimus in mundum.

sus veheretur, illud videbatur memorabile, tam ob traditionem, quod ipse Abrahami ac Mosis asino equitaturus esset (n) quam quod speciatim de Messia Zacharias ita prædixisset (o) quod Judæi negare nequeunt. R. Salomo per regem illum, asino vectandum, Messiam intelligit. Kimchi ceterique omnes eandem insistunt viam (p) licet antecaptis de Messia opinionibus heic indulgeant. Ipsi pueri הושיע נא *Hosianna* exclamabant in honorem Servatoris, quia is Messiæ veri character erat. (q) Videmus igitur, Judæos Psalmum nostrum introitui Messiano tribuisse, qui Maccabaico præstantior & salubrior futurus erat. Quanto magis nos hanc odam jure decantamus, ad quos Jesus venit & mystice venturus est. Ingredere, o Jesu, templum tuum, cor nostrum, quod redemptione tua tibi parasti, repurga illud & incole.

§. 7. Hierosphaltes, hostes suos sese circumcisurum esse, memorat, v. 10. at ex versione nostra. Quare ita transtulerim vocem אמילם, supra docui. Nil enim magis erat piis curæ cordique, quam gentes

(n) R. Abarbanel in *Commentario in Pentateuchum* fol. 62. col. 1. lin. 22. sqq. edit. Hanov.
(o) C. IX. v. 9.
(p) Conf. *Medrasch coheleth* c. I. v. 9.
(q) *Medrasch coheleth* l. c. & ad v. 4. puerorum laudes in Messiam pro charactere Messiano habet.

quascunq; Deo addicere atq; adducere. Judæi non repudiant eos, qui Mosi nomen dare cupiunt, quod vero in Germania nostra neminem Christianorum, qui castra Judaica sequi avet, circumcidere audeant publice, id ob interdictum Imperatorium fieri solet. Quam anxie Judæi obibant olim terras, ut unicum nanciscerentur Proselytum? Proselytus portæ non magni fiebat a Judæis: majori in pretio erat Proselytus fœderis, qui omnia præcepta Judaica ratione sui sexus & in eorum signum circumcisionem suscipiebant. Quanto majori ac sinceriori cura Jesus, cujus heic potissima, ut Archetypi, ratio habenda est circumcisionem animorum eorumque expurgationem intendit ac promovere studet? Subesse poterat Judæis ratio politica, scilicet ut roborarent quoque numero & copiis suam gentem, quo validius hostibus, sese defensuri, possent obsistere. Ita Aristobulus Ituræos, gentem prævalidam, devicit atque illorum præputium circumcidit, (r) & Hyrcanus paullo ante Idumæos circumcisioni addixerat &c. Quos vero Judæi devincebant, eos ad circumcisionem adigebant. Quare si *antecedens pro consequente* hoc loco intellexeris, verti etiam אמילם potest: *Vincam illos.* At Christi majus studium veros Dei filios reddendi, qui

(r) Jos. Antiqu. Jud. L. XIII. c. 19. Gorionides L. IV. cap. 9.

qui nos peccatis immortuos vincit & expugnat, ut circumcidat, sordibus expurget, a superfluis & immodicis arceat, atque in gremium ecclesiæ & Patris adducat. O beatos, quorum dux suos hostes tam salubriter devincere & circumcidere studet.

IV.

Observatio critica in voces אדרכון, דרכמון, דרכון 1. Par. XXIX. 7. Esdr. II. 69. Neh. VII. 70. 71. 72. auctore J. C. HARENBERGIO.

SYNOPSIS.

§. 1. *Voces peregrinæ constituunt bonam partem linguæ ebraicæ.* §. 2. *Docetur id exemplo vocis* דרכון, *Daricus, cujus Darius Medus fuit auctor.* §. 3. 4. *Darici metallum, pretium, usus.* §. 5. *Metallum ejus porro probatur, simulque figura & Icon designatur.* §. 6. *Darcon est Daricus,* δαρεικὸς.

§. 1.

UT omnino conatus eorum sua laude privandi non sunt, qui vocum Ebraicarum etymologias & natales, unde

in derivatas colonias quasi deductæ sunt, ex ipso fonte Ebraico indagant: ita id tamen infitiandum est, vocum omniũ, quæ in Ebraico V. T. codice obviæ sunt, origines esse ebraicas. Nam si reliquas gentes respexeris, quæ Judæos cingebant, Judæi popellum magis quam vastam nationem præbebant. Nihil tamen frequentius est, quam quod exiguæ regiones & nationes voces civitate donent, quæ a celebrioribus ac numerosioribus gentibus finitimis ore calamoque teruntur. Hispani multas voculas Phœnicibus, Græcis & Saracenis debent: Galli Romanis, Germanis, Græcis: Itali Romanis, Græcis, Gothis: Angli Germanis, Romanis, Brittis, Danis, Gallis: Germani Græcis, Slavis, Gallis. Turci multa trahunt ex Turchestan, Slavis, Arabibus, Græcis. Tartariæ minoris (a) incolæ & ipsi Persæ Germanicas terunt voces, ex Scythia susceptas & Arimanica expeditione. Lingua Medica ex Ebræa, Græca & Teutonica multas hausit voces.(b) Cur igitur dubitamus de lingua Ebraica? Aegyptiacas, Arabicas, Syriacas, Medicas & Persicas illa indubie præfert voces, quarum notitiam maxima ex parte nox & monumentorum interitus premunt. Præstabi-

lis

(a) Vid. Busbequii Ep. IV. de rebus *Turcicis* pag. 386. 387.

(b) Vid. Th. Hyde de *religione veterum Persarum* c. 3

lis est conatus Celeb. Alberti Schultens, ex Arabica lingua radices & voces protrahendi bene multas. In præsens vocem דרכין ex Persico Δαρεικος دريغان eruere animus est, unde ortum fuisse Arabicum درهم *numus, numisma argenteum*, Græcum δραχμη videtur.

§. 2. Darius Medus Cyro & Dario Hystaspide prior nomen huic pecuniæ sorti dedit. Scholiastes in Aristophanis Εκκλησ. p. 741. Εισι μεν χρυσοι στατηρες οι Δαρεικοι. ουκ απο Δαρειου του Ξερξου πατρος, αλλ' αφ' ετερου τινος παλαιοτερου βασιλεως ουτως ωνομασθησαν. *Sunt quidem aurei stateres Darici. Non a Dario Xerxis patre, sed ab alio quodam vetustiori rege ita adpellati sunt.* Quis ille fuerit Darius, ex sacris litteris, Daniele puta, nobis utique constat, qui est Xenophontis Cyaxares, Estheræ Ahasverus.(c) Meminisse illius Darii Suidas in voce Θαλης videtur, quippe quem primum ait γεγονεναι προ Κροισου, at dein επι Δαρειου. (d) Numus autem hic forsan, ut Perizonius l. c. judicat, ortus est ex tributo provinciis per Darium hunc imposito. conf.

35. p. 428. Guilielmi Burtoni λειψανα *Veteris linguæ Persicæ*, M. Z. Boxhornii Epistola de *Persicis Curtio memoratis.*

(d) Marshamus in *Canone Chronico* ad Sæc. XVIII. p. 609.

Esth. X. 1. Dan. VI. 2, 3. Herod. L. III. c. 89. pag. 199. Polyæn. L. VII. 11. 3. quorum tamen uterque ultimus id tribuit Dario Hystaspidi, sed errore certo & inde orto, quod antiquiorum illum Darium non norant. Abulpharagius (e) de Dario Medo: *Darius Medus. Adpellant illum Græci Nabonidem. Regnavit autem annum unum, vel, ut dicitur, novem annos, ab eo sublatum est regnum Nabatæorum, Chaldæorum, translatum scilicet ad Persas Magos.*

§. 3. Agnoscunt Judæi antiqui, quod דרכונים fuerint numi aurei, quos ex Babylonia sui detulerint peregrinos. Mischnicus Tr. de *siclis* c. II. §. 4. שכשעלו ישראל מן הגולה היו שוקלים דרכונות חזרו לשקו סלעים יחזרו לשקו כבעי *postquam Israelitæ adscenderunt ex exsilio, solverunt darconoth, cessarunt solvere siclos & semisiclos.* Et ibidem §. 1. מצרפין שקלים לדרכונו מפני משוי הדרך *Quipermutarunt siclos Daricis ob onus viæ.* Glossa addit: דרכון היה בו שני סלעים ואמר מצרפין אותן השקלין ישהם הכסף ברינוי זהב שיקל משאם *Darcon continebat duos siclos, dicitque quod permutaverint hos siclos, qui fuerunt ex argento, in numos aureos, ut levius fieret onus eorum.* R. Oba-

(e) Marsham. l. c. p. 604. unde sua hausit Perizonius in *Notis ad Aelianum* V. H. L. I. c 22. p. 32. (Ed. 2. 1701. Lugdun. Bat. 8.)

Obadias in שלשלת pag. 89. דרכון והוא שני סלעים שוה יוליאי *Darcon æquat duos ſiclos, qui faciunt* 10. *Julios.* Pollux L. IV. ὁ δε χρυσους σατηρ δυο εἰχε δεραχμας Ατλικας. *Aureus vero ſtater duas æquabat drachmas Atticas.* Joſephus porro ſiclum auri comparat Darico, quia acerram decem ſiclis æſtimatam Lev. VII. 14. δαρεικους δεκα δυναμενην *Daricos decem æquantem* pronuntiat. Quia igitur ſiclus aureus didrachmum aureum fuit & viginti drachmas Atticas argenti valuit (f) Darici pondus & pretium ſiclo auri Ebræorum par fuit. Harpocratio: Εισι μεν χρυσοι σατηρες οἱ δαρεικοι. ἠδυνατο δ' ὁ εἰς ταυτο ὁπερ και ὁ χρυσους παρα τοις Ατλικοις ονομαζομενος--λεγουσι δε τινες τον δαρεικον αργυρους δραχμας εικοσι, ὡς τους πεντε δαρεικους δυνασθαι μναν αργυριου. *Sunt equidem aurei ſtateres Darici. Valebat vero unus idem ac Aureus ab Atticis vocatus -- tradunt vero nonnulli, quod Daricus æquet argenteas viginti, ita ut quinque Darici valuerint minam argenti.* Perizonius l. c. de Daricis: *Numi hi ſunt aurei, reſpondentes Atticorum XX. drachmis argenteis, noſtratibus 6. florenis.*

§. 4. Perſarum præterea ritus obtinuit in imperio Perſico, rerum pretia in Daricorum ſummam conligendi, uti ex Aeliano (g)

(f) *Dyn.* VII. p. 72. (113.)
(g) Vid. Jo. Frid. Gronovius pater de *pecunia vetere* L. III. c. 7. p. 360. ſqq.
(h) *Var. Hiſt.* L. I. c. 22.

discimus, & multum Reverendus notavit M. Georgius Raphelius. (h) Mos ille jam ante Darium Hystaspidem invaluerat adeoque ab Esra servatus est, qui c. VIII. v. 27. crateras aureos viginti ad mille Daricos computat. Xenophon L. VII. Αναβ. Κυρ. pag. 415. col. 2. ἵππον ὃν ἐν λαμψακῷ ἀπέδοτο πεντηκοντα Δαρεικῶν. Erat & sicli genus Persis usitatum, quod valebat septem obolos Atticos & semiobolum. Xenophon Αναβ. L. I. p. 254. col. 2. ὁ δὲ σίκλος δύναται ἑπτὰ ὀβολοὺς καὶ ἡμιωβόλιον Obolus vero valebat octo unciis vel besse, hemiobolium igitur quatuor unciis. (i) Siclus igitur ejusmodi æquavit sexaginta uncias seu lothones i. e. XXX. thaleros, vel potius, ubi uncia XVI. grossis Misnicis valet, XXXV. thaleros seu Joachimicos. Xenophon l. c. p. 260. col. 2. Ἐνταῦθα Κῦρος Σιλανὸν καλέσας τὸν Ἀμβρακιώτην μάντιν, ἐδώκεν αὐτῷ δαρεικοὺς τρισχιλίους, ὅτι τὴν ἐνδεκάτην ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας πρότερον πυθόμενος, εἶπεν αὐτῷ, ὅτι βασιλεὺς μαχεῖται δεκάτῃ ἡμέρᾳ. Κῦρος δὲ εἶπεν, κἂν αὖθις ἐπὶ μαχεῖται, εἰ μὴ ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις μαχεῖται, ἐὰν δ' ἀληθεύσῃς, ὑπισχνοῦμαί σοι δέκα τάλαντα. *Cyrus arcessito Silano Ambraciota vate, Daricis eum ter mille donavit, quod ab Cyro interrogatus, die ante eum diem unde-*

(h) In *Annotationibus philologicis in N. T. ex Xenophonte* p. 363.

(i) Gronovius de *Pecunia vetere* L. III. cap. 2. pag. 263.

undecimo, dixisset, regem diebus decem proximis prælium non commissurum. Quo tempore Cyrus respondit, non subiturum se aleam prælii, nisi iis diebus præliaretur. Quod si tu verum dixeris, decem tibi talenta polliceor. Tria millia igitur Daricorum valuere decem talenta. Ut porro decem talenta ad ter mille Daricos, ita unum talentum ad trecentos Daricos. (k) Intelligit Raphelius (l) talentum non Atticum, sed Babylonium. At meliora doceri potuisset a Gronovio l. c. si is ei fuisset ad manus. Talentum enim Babylonium septuaginta duas minas Atticas conficit; (m) Talentum vero Atticum Sexaginta minas, mina quinque Daricos seu stateres. Id enim ex Arriani IV. liquet, ubi τριακοσιοι δαρεικοι ultimo adscendenti Aornon ab Alex. M. promittuntur, i. e, talentum, ut Curtius habet. De Daricis tres alii loci Xenophontis sunt apud Raphelium, qui apud eum, si cui necesse visum fuerit, evolvi queunt. Ut summatim dicam pretium Darici, id duobus philippeis valuisse adjungendum est.

§. 5. *Daricus* ille fuit *numus*, *ex auro* conflatus. Id non solum Græci scriptores sed Judæi etiam largiuntur & testatum faciunt. Aben-Esra ad Esdr. II. 69. דינרי זהב *de-*

(k) Eadem ratione conligit Gronovius l. c. cap 7. p. 366.
(l) l. c. p. 361.
(m) Aelian. H. V. L. I. c. 22.

narios aureos fuiſſe perhibet *darchmonim*. Raſchi ad eundem locum דרכמונים interpretatur שם מטבע של זהב per *nomen monetæ aureæ*. Idem ad Esdr. VIII. 27. מן מטבע אלף דרכונים היו בעשרים כפורי זהב הללו *Species numismatis. Mille darconim erant viginti talenta auri.* Ex ipſo codice ſacro liquet, ſi hæc loca ex 1. Par. XXIX. 7. Neh. VII. 10. ſq. evolverimus, *Darcon*, ſeu *Daricum*, uti ego quidem interpretor, aureum fuiſſe numum. Ez hachaiim in commentario ad Tr. Miſchn. de *Siclis* c. II. §. 1. בני העיר ששולחין שקליהן לירושלים מצרפין אותם וליקחין מהם דרכונות היו זהובי טבועים דרכונות אין שאר זהב לו שאינו טבוע ובמש שקלים מפרש טעם שמא תיזול מרגליות וכו והה לכל שוה כסף שמא יזול ונמצא הקדש מפסיד אבל טיבעא לא זייל יפיר ם דרכון הוא ב סלעים: *Oppidani, qui mittebant ſiclos ſuos Hieroſolymam, eos permutabant collybo & capiebant pro illis Daricos, qui fuere aurei cuſi. Non erat reliquum aurum ei urbi, quod non eſſet conflatum. De mole ſiclorum prægravante ſententiam explicant, ne vileſcerent margaritæ &c. Illud ipſum eſt omnino æquale argento, ne vilius fieret & deprehenderetur templum damno adfici, ſed moneta non vilius caperet pretium. Exponit R. Maimonides: Darcon eſt duplex ſiclus.* Videtur de ſiclo profano aureo loqui, ex errore communi & qui diu inhæſit, ſtatuens, ſiclum ſacrum eſſe duplum pro-

profani. Sed ne sic quidem omnia satis constant, quia סלע *Sela* in Talmude idem est quod siclus sacer. (n) Sufficit in præsens, ex Judæorum testimoniis patescere, quod *Darcon* fuerit numus aureus. Xenophonidem confirmat Anab. I. p. 260. col. 2. subjungens loco supra excitato: τουτο το χρυσιον τοτε απεδωκεν, οτε παρηλθον αι δεκα ἡμεραι. *Hoc ipsum aurum tunc* Cyrus minor vati Ambraciotæ *dedit, ubi exacti fuere illi decem dies.* Restat, ut figuram numismatis impressam recensеamus, quam docte & concise Thomas Hyde indicat, (o) *Quia*, inquiens, *Persæ erant sagittarii optimi, ergo apud Mausoleum Persepolitanum in Regum manibus tenetur* (p) *Arcus, cui innituntur, ut Persarum insigne. Et apud Strabonem in Darii, forte Hystaspis, sepultura ponitur Epitaphium: Amici, fui ἱππευς καὶ πεζοπλ ἀριστος, venatores fugavi & omnia facere potui. Et dicente Plutarcho in Moralibus* p. 211. persarum numisma Daricum sagittario signatum fuit. *Talis nummus vel apud Spanhemium vel*

(n) J. H. Hottingerus de *Nummis Orientalium* §. V. pag. 98.

(o) De *Religione Veterum Persarum eorumque Magorum* c. 23. p. 307.

(p) Id non adeo certum est, quia videtur esse serpens, cujus caudam Rex manu tenet, uti Cornelius de Bruins in Reizen c. 39. p. 221. Ipse quidem c. 40. p. 232. de arcu explicat, sed alibi, ubi de Thau Ezechielis agerem, dubitationem meam proposui.

vel apud Golzium videri poteſt, ubi Rex altero genu flexo jaculatur. Et ſi recte memini, Sueto-nius, in Caligula, ponit in Parthorum vexillo draconem & in eorum vexillo regio Arcum. Ipſe Tabula II. adjecta iconem nummi exhibet.

§. 6. Ut igitur Daricum & Darcon pro uno eodemque nummo habeamus, ſequentes nos impellunt rationes. (1) Eſra qui Paralipomena ſcripſit, (q) & Nehemias, vixere poſt Darium Medum. (2) Ex exſilio Babylonico origo Daricorum repetitur, itidem Darconim, ob שקלים c. II. §. 4. (3) Tum Darcon, tum Daricus fuit numus aureus ob §. 5. (4) Joſephus Daricos Græce adpellat, quos ceteri Judæi darconim. (§. 3.) Perſæ (5) ſummam conligebant Daricorum, ſi de majori pecuniæ multitudine ſermo eſſet, quare Darici fuere nummi vulgatiſſimi. Id & de Daricis & de Darconim (§. 4.) oſtenſum eſt. Tum (6) adfinitas ſoni favet inter voces דרכן & Δαρεικὸς. Tandem (7) terra Babylonica, dominatus Perſicus, & licentia Judæis ademta, quæ percuſſionem nummorum indulſit demum ſub Demetrio Syrorum rege, ſententiam corroborant noſtram. Accedit (8) quod aurea δραχμη ſub Dario Medo, Eſra & Nehemia nondum fue-

(q) Du Pin dans la *Diſſertation preliminaire ſur les auteurs des Livres de la Bible* §. 1. p. 23. col. 1. T. I. *Bibliothequ. nouv. des Auteurs Eccleſiaſtiques.*

fuerit inventa vel trita. Quare non possum, quin Darconem & Daricum pro uno eodemque nummo habeam.

V.

CAR. FRID. KRUMBHOLZII,

Animadversio

Ad

Marc. XV. 11.

Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον, ἵνα μᾶλλον τὸν Βαραββᾶν ἀπολύσῃ αὐτοῖς.

§. 1.

VEtustissimus ille codex, quo quondam THEODORUS BEZA usus fuit, quique nunc Cantabrigiæ adservatur, pro ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον, habet ἔπεισαν τῷ ὄχλῳ. (a) At enim est hoc, si quid judico, unum ex interpreta-

(a) Vid. BEZAE *Adnotat. ad N. T. f. m.* 220. *Edit.* 1598.

tamentis istis, de quibus celeberrimi nominis Vir, CLERICUS, (b) ex instituto agit, quibusque optimos novi quoque instrumenti codices esse obsessos, non solum apud omnes, qui naris sunt paullo emunctioris, est in confesso; (c) sed & larga variantium lectionum seges vel maxime confirmat. Fortassis enim veterum quidam, quum in MARCO legendo versaretur, neque vim & efficaciam vocis ἀνασεισαν rite caperet, τὸ ἔπεισαν, quo vocabulo divus MATTHAEUS, eandem nobis (d) historiam tradens, utitur, explicationis ergo ad marginem adlevit, quod postea ineptus quidam atque impe-

(b) *Art. Crit. Part. III. Sect. I. Cap. VII. p. m. 78 sqq. Edit. Lips.*

(c) Sane JACOBUS HASAEUS, Vir quondam κεφαλωτατος, cujus præmaturum obitum dolet orbis, qua patet, litteratus, licet in eruditissima pariter & elegantissima dissertatione de *glossematibus quorundam locorum N. T.* in *Bibl. hujus Cl. I. Fasc. V. n. III. p.* 687. reperiunda, ab iis se longe alienissimum esse, qui γλωσσήματα in codice sacro aliis ostendere anniti fuerunt, libere non modo profiteatur; verum quoque, quantum ea in re viros alioquin eximios ratio fefellerit, multis exemplis in medium allatis docte demonstret: re tamen ipsa, non pauca illorum in quibusdam novi pacti codicibus iisque optimis hinc inde deprehendi, liberaliter admodum concedit *l. c. §. II. p.* 691.

(d) *Cap. XXVII. comm.* 20.

peritus librarius pro ἀνέσεισαν in ipsum verborum MARCI ordinem admisit.

§. 2. Certe quum longe plures iique melioris notæ codices legant ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον, causſam ego, quare, quin hæc genuina sit lectio, dubitemus, plane non video. Maxime quum τὸ ἀναστεῖαι hic loci vi quadam & efficacia gaudeat singulari. Descendit enim, ut rem ab ovo, quod dicitur, repetamus, a præpositione ἀνὰ, & verbo σεῖαι, quod proprie de arboribus dicitur, quæ ventorum vehementia tantopere nonnunquam concutiuntur, ut fructus ex iis decidentes legere queamus. (e) Immo de maris juxta & terræ motibus usurpatur; quod suos inde ducit natales, vocabulum σεισμὸς (f) τὸ σεῖαι itaque, si primam atque nativam vocis notionem spectare velimus, notat *magno cum impetu movere aliquid sive concutere.* Deinde vero per metaphoram quandam ad hominis animum transfertur, quando adfectuum impetu turbatur ille ac fortiter commovetur. Ita divus MATTHAEUS (g) expositurus, quanta omnium, qui tum Hierosolymis agebant, quum CHRISTUS asina vectus in urbem ingrederetur, animi fuerit commotio; ἐσείσθη, ait, πᾶσα ἡ πόλις. Idem, (h) ut aliquo

(e) *Apocal. VI.* 13.
(f) *Matth. VIII.* 24. *XXVIII.* 2.
(g) *Cap. XXI. comm.* 10.
(h) *Cap. XXVIII. comm.* 4.

aliquo tantum adumbret modo terrorem illum, quo milites ſervatoris ſepulcrum cuſtodientes, exanimabantur pæne, quum angelus Domini magno fulgore coruſcans e cœlo deſcenderet, & accedens lapidem ab oſtio monimenti removeret: ἀπὸ δὲ τοῦ φόβου αὐτοῦ, inquit, ἐσείσθησαν οἱ τηροῦντες, i. e. *cuſtodes vero præ metu ipſius adeo percellebantur animo, ut toti contremiſcerent.*

§. 3. Quemadmodum igitur τὸ σείειν; ita quoque τὸ ἀνασείειν de vehementiori mentis commotione uſurpatur. Id tantummodo inter utrumque verborum intercedit diſcriminis, ut, ſiquidem præpoſitio ἀνὰ in compoſitione ſignificationem intendit, hujus adhuc major ſit virtus & efficacia, quam iſtius. Ita τὸ σείειν, ſi quando ad animum hominis refertur, *vehementer aliquem commovere* ſignificat; at τὸ ἀνασείειν etiam *concitare aliquem* deſignat *adeo, ut adfectuum impetu agitatus tumultuari ac furere quaſi occipiat.* Ὅτι ἀνασείει τὸν λαὸν, inquiunt (i) Judæorum proceres, DEI filium plane innoxium omnisque omnino labis expertem criminantes, hominem eum eſſe ſeditioſum, qui peſſimas doctrinas atque opiniones ubique diſſeminans multitudinem concitaret ita, ut ea tumultus ſubinde moveat. Patet itaque, de iis, qui aliquem concitant ita, ut det etiam turbas, dici nonnunquam τὸ ἀνασείειν. Iſta ve-

ro

(i) *Luc. XXIII. 5.*

ro vis voci hoc quoque ineſt in loco. Quippe, *nequaquam fruſtra operam inſumſiſſe ſacerdotum principes, ſed perſuaſionibus ſuis atque conſiliis doloſis adeo plebem concitaſſe, ut veluti mare procellarum vi agitatum tumultuari cœperit*, eadem innuit MARCUS.

§. 4. Contra quem turbam eo concitaverint modo, ille quidem nominatim non indicatur attamen ex iis, quæ antecedunt, facile id ipſum colligitur. Nempe Pilatus, ut JESUM, quem eſſe integrum ſcelerisque purum, ex omnibus iis, quæ cum eo usque adhuc acta fuerant, probe cognoverat, minori maximorum pontificum indignatione abſolvere poſſet; Barrabam quendam, ſcelus hominis, quique facta per tumultum cæde cum reliquis motæ ſeditionis ſociis in vincula conjectus erat, propter eum conſiſtere jubens, Judæorum genti optionem permiſerat, utrum vellent, ut ipſis more conſueto dimitteret; certo ſperans adeoque confidens fore, ut innoxium virum Barrabæ, homini tam nefario, quoque ſceleſtiorem inter eos, qui in vinculis ſervabantur, nullum habebat, præferrent. Ac ſane videtur populus ſatis bene, quantum inter utrumque fuerit diſcriminis, agnoviſſe, ideoque dubius hæſitaſſe, annon potius a Pilato, ut JESUM dimitteret liberum, ſit expetendum. At enim ſummi ſacerdotes, infenſiſſimi ſervatoris noſtri hoſtes, id ani-

madvertentes ſumma ope nitebantur, ut in ſuas populum pertraherent partes; ea de cauſſa optimum ſervatorem ſtrenue tam diu calumniabantur, donec tandem imperitam plebem ita concitarent, ut contra illum inſurgeret. Quocirca, ut orationi ſua conſtet integritas, verbis: οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον, addo primum vocabula, κατὰ τὸν Ἰησοῦν, per ellipſin omiſſa.

§. 5. Sed vero nondum hac ratione omnem omnino ſuperavimus difficultatem. Nam adhuc plura deeſſe, ex iis, quæ ſequuntur, quæque cum antecedentibus nullo modo cohærent, haut quaquam obſcure liquet. Quæritur itaque, quænam ea ſint, quove pacto defectus ſermonis ſupplendus. Clariſſimus Vir, FR. HEUPELIUS (k) τὸ αἰτῆσαι poſt τὸν ὄχλον deficere putat, premens forſitan ea in re veſtigia ERASMI SCHMIDII felicissimi quondam oraculorum divinorum interpretis; quippe qui in ſua novi fœderis interpretatione latina illud MARCI: οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον, ἵνα μᾶλλον τὸν Βαραββᾶν ἀπολύσῃ αὐτοῖς, reddit: *at ſummi ſacerdotes concitarunt turbam, ut potius* ROGARET, *QUO Barabbam ipſis dimitteret.* Verum enim vero, ſi recte calculos ſubduco, nequaquam ſufficit iſtud. Sacerdotum ſcilicet primores, id quod e rebus, quæ circumſtant, omnibus manifeſto liquet, mul-

(k) *Notis Grammat. Hiſt. Crit. ad Marc. p.* 497.

multitudini non modo fuerunt auctores, ut Pilatum de Barabæ potius dimissione sollicitaret; verum hæc quoque pravis istorum instigationibus atque consiliis morem gerens a Pilato, ut Barabbam e vinculis dimittere mallet, re ipsa, & quidem impetu magno & importuno prorsus clamore contendit. Id ita esse, liquido ex commate patet proxime sequenti, ubi Pilatus populo respondens Judaico, ex eodem quærit: τί οὖν θέλετε ποιήσω, ὃν λέγετε βασιλέα τῶν Ἰουδαίων; *quid igitur vultis faciam ei, quem dicitis regem Judæorum?* Profecto ex ista Romani præsidis interrogatione intelligitur, nisi me omnia fallunt, perspicue, Judæos cum illo colloquentes, ut Barabbæ potius libertatem concederet, antea efflagitasse. Sed; ais, unde probabis, istos ab initio statim magna contentione ac vociferatione prorsus impetuosa postulasse id ipsum? Respondeo. Divus non modo LUCAS (1) disertis illud testatur verbis; verum quoque ex iis, quæ sequuntur, planissime id ipsum demonstrari potest. Commate nimirum XIII. MARCUS, *iterum clamasse* Judæos, a Pilato, ut JESUM NAZARENUM cruci affigendum curaret, efflagitantes, palam adfirmat: unde, jam antea inconditum eos sustulisse clamorem, constat aperte. Rebus itaque omnibus probe ponderatis ac rationibus rite subductis, hunc

(1) *Cap. XXIII. comm. XVIII.*

MARCI locum ita supplendum esse censeo: οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον (κατὰ τὸν Ἰησοῦν, καὶ κελεύσας αὐτὸς ἠτήσατο παρὰ τοῦ Πιλάτου,) ἵνα μᾶλλον τὸν Βαραββᾶν ἀπολύσῃ αὐτοῖς, i.e. *Sacerdotum vero principes concitabant populum & in furorem quasi agebant (contra JESUM,) & magno iste sublato clamore petebat, a Pilato, ut Barabbam ipsis dimittere mallet.*

VI.

T. d. H.

Relatio de itinere,

quod annis clɔ Iɔcc xxi. & sequentibus circum terrarum orbem factum est.

AMplissimos nobilissimosque viros, qui sodalitio Indiae Occidentalis Belgico praesunt, expeditionem ad ulterius explorandum terras incognitas, quae Meridiem spectant, moliri ante hos quatuor annos constante famâ, atque omnium sermonibus celebrabatur. Tenebat ea res omnium animos valde sus-

ſuſpenſos exſpectantium, quem illa habitura eſſet exitum, &, quid commodi, aut rerum novarum ex tam diſſitis, & plus uno orbe diviſis regionibus poſt tot fruſtra tentata conamina ad nos, qui Europam incolimus, proventurum eſſet. Neque levis exſpectatio felicis eventus lactabat omnes, quod id negotii curae, ac regimini viri rei navalis peritiſſimi, qui pridem hoc conſilium animo volverat, erat concreditum. Tandem elapſis aliquot annis triſtes tantum hominum reliquias perditis navibus in Europam inter mille aerumnas reverſas fuiſſe re infectâ, neque ditibus Salomonis inſulis, quas inveſtigatum profecti erant, viſis, & ſic ſpe, qua jam Attalicos theſauros devoraverant, dejectos illos, nuntiatum fuit. Mirum me deſiderium tenebat, quæ illius itineris ſors, quæ fortuna fuiſſet, & quid plagarum imperviarum, rerumque adhuc incognitarum detectum eſſet, cognoſcendi. Accidit tandem peropportune, ut ad me inviſeret, vir antea haud ignotus, quem cum oppido paucis ex tam difficili, ac periculorum pleno itinere,

Poſt tantos caſus, poſt tot diſcrimina rerum,

ſalvum atque incolumem noſtris oris reddiderat divina providentia. Ego diligenti ſciſcitatione ex eo quaeſivi, quid cum illis actum eſſet, quem curſum tenuerint, quid rerum commemorabilium obſervaviſſet. Ad

quae cum ille & promte & fideliter reſpon-
deret, & ſimul, quæ ejus humanitas erat,
ſchedulas communicaret, quibus in ipſo
itinere, quae illi notatu digna erant viſa, tra-
didiſſet, ego & dicta actutum mandavi lite-
ris, & ex iis, quæ manu erant exarata, ea
excerpſi, quæ lectione tuâ, B.L. non indigna eſ-
ſe judicabam, omiſſis iis, quæ parum ad rem fa-
cere videbantur, rerum circumſtantiis,
aut, quae ſcire magis nautarum, quam no-
ſtra, qui muſicas artes tractamus, intereſſe
credebam. Hoc itaque Catone contenti
erimus, donec pleniores ab aliis commen-
tarii de iſthoc itinere vulgabuntur, quod for-
ſan poſt aliquot annos futurum, non o-
mnis ſpes evanuit, poſtea quam eandem pro-
fectionem eodem duce ante menſem unum
alterumve rurſus ſuſceptam eſſe, utinam
meliori cum ſucceſſu! publicae nos relatio-
nes docuerunt. Si nihil aliud, memoriam
tamen hanc brevitas, pariter & veritas nar-
rationis, pro qua ſpondere auſim, commen-
dabunt. Non male ſibi conſulet, quisquis,
ut melius tantae viae curſum ſequatur, con-
feret mappam Geographicam terrarum au-
ſtralium, quâ nullam accuratiorem novi,
eâ, quae ſubjuncta eſt, deſcriptioni itineris,
quod in Indiam Occidentalem fecit Fran-
ciſcus *Coreal*, ex Hiſpanico Belgice transla-
tae, atque impreſſae in forma octies diviſa

Am-

Amstelodami, a. 1722. Tomo III. pag. 203. Sed ad rem ipsam.

Ad diem IV. Eid. Julii anni M DCC XXI. tres naves huic expeditioni destinatae, quibus nomina ab urbe *Tienhofia*, (*Tienhofen*) ab Africa (*Africanische Galey*) ab *aquila* denique (Arend,) imposita erant commeatu ad XXIV. menses & viris plus sexcentis instructae Amstelodamo solvunt. Ipsis Kalendis Augusti, Texelia, quae nota est navium in utramque Indiam contendentium statio, nacti idoneam ad navigandum tempestatem, alto mari se committunt. Postridie Kal. Septembris insulas fortunatas quas nunc Canarias vocant, attigêre. Die XVII. Octobris totum mare, quasi carbonibus ignitis, (a) vel facibus ardentibus (nautae vocant *seequallen*) conspersum conspexerunt. Die 10. Novembris vident Brasiliam prope insulam, quae à S. Sebastiano nomen gerit, sed prohibentur descensu in terram. Ut tamen penuriae aquae succurrerent, appellunt insulam non habitatam, ibique a die 21. Novembris ad Kal. Decembris commorantur, duobus tamen, qui olim Coloniae literis operam dederant, quod indociles essent graves itineris marisque molestias pati, in continentem terram aufugientibus, neque revertentibus. Die undecimo Decembris

(a) Vide quae de illo φαινομενῳ notavimus in disquis. de Leviathane c. V. §. 13.

bris cum perveniſſent ad gradum latitudinis auſtralis XXXIII. min. 58. horribili tempeſtate agitantur. Die ejusdem menſis XXVI. intolerabili frigore (b) premuntur, ita ut duplicatae veſtes inter eos diſtribui debuerint, pervenerant autem ad latitudinis auſtralis gradum 46. min. 33. Kal. Januariis anni M DCC XXII. vident inſulas Mauritii & Statuum (*Staateneyland.*) Mare autem plenum erat canibus marinis (*Seerobben*) & thunnis trium ulnarum magnitudinis, velocitate incredibili oceanum ſulcantibus. Die Januarii XIX. fretum Magellanicum (c) in-

(b) Mira profecto res. Utrinque enim paribus ſpatiis & noſtra Saxonia, & hic terrarum tractus diſtat ab aequatore. Diceres itaque, cum ſimilium ſimilis ſit ratio, parem utrobique oportere eſſe aëris vel calidi vel frigidi conditionem. At res ſe prorſus habet aliter. Menſe enim Decembri, cum apud hos populos polo antarctico tam vicinos, quam nos ſumus arctico, aeſtas cum maxime eſt, omnia aeterno premi gelu, ſaeviſſimisque aduri frigoribus, conſtans eſt omnium relatio. Cauſa illius haud dubie petenda eſt, ab Apogaeo, ſive malis Aphelio, quod verſus boream inclinans nunc nobis breviorem hiemem, at aeſtatem longiorem, at Auſtralibus terris ex adverſo hiemem longiorem, aeſtatem vero breviorem efficit. Digna lectu atque examine ſunt, quae in hanc rem adtulit *Jo.* Auguſtus RIVINUS in diſſ. de *terra auſtrali* habita Lipſiae, 1716.

(c) Omnium accuratiſſime illud delineatum eſt in mappa, quæ in deſcriptione itineris, quod per illud

in

intrant, rigebant omnia frigore intenſiſſimo, &, etſi media aeſtas erat, aeterno tamen gelu preſſa & nive altâ contecta videbantur montium cacumina. Neque dies erat, neque nox, ſed crepera lux,

Quam tu nec tenebras, nec poſſes dicere lucem,

ipſum

Cernebant cœlum pice nigrius, & freta ventis
Turbida, perque cavas vix adeunda rates.

Ita ut confirmari viderent illud Ovidii Met. L. I. n. 64. ſq.

- - Scythiam ſeptemque trionem
Horrifer invaſit boreas, contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluvioque madeſcit ab Auſtro.

Kal. Februariis intrant mare pacificum. Interea per tres dierum hebdomadas ſolem non viderunt ad diem usq; 6. Febr. quo exiguus ſolis ſplendor iis rurſus apparuit, quando verſabantur ſub gradu lat. Auſt. 46. Min. 25. longitudinis 297. Die 14. Febr. littora provinciae Chili, quae altiſſima ſunt, praeternavigant; Vident Baldiviam, (d) lat. Auſtr.

in nare auſtrale *Narbeorougius* fecit, edita Amſt. 1712. 8. occurrit, cum quibus tamen conferri meretur delineatio illius, quam exhibet *Frezierius* itinerario T. II. p. 507.

(d) Accuratam hujus loci, quem *clavem* maris Auſtralis judicant Hiſpani, deſcriptionem vide dans *la relation de voyage de la mer du ſud par FREZIER*, Amſt. 1717. p. 75. ſqq.

38½. Die 15. insulam *la Mocha* lat. Austr. 38. die 24. conspiciunt insulam Ferdinandi, sitam sub gradu 33. latitudinis australis cum dimidio, ibique laeti inveniunt navem *Tienhofen*, quae inde a die 17. Dec. anni praeteriti oculis illorum erepta fuerat, & tamen interea temporis attigerat gradum latit. Austr. 64. cum 58. minutis, quo plus ultra nullus adhuc Europaeorum pervenerat. (e) Notandum est per tres dierum hebdomadas iis solem non esse conspectum, donec ad gradum latit. austr. XLVI. min. 25. longitudinis autem 297. pervenissent, id quod factum die 6. Febr. quo obscurius sol iis rursus apparere coepit. Mira hic erat copia bestiarum quas vulgo vocant *Wallrussen* Belgae *leones marinos*, (f) quod capita gererent instar leo-

(e) Hoc fere omnes confitentur, qui vel recentissime omnium hoc iter emensi sunt, v. gr. Dampier, Cowley, Sharp, alii; ultra gradum meridionalis latitudinis sexagesimum non perveniri posse: Et licet non ignorem in nonnullis itinerariis aliquot adhuc supra sexagesimum superatos esse gradus legi, nusquam tamen observavi tam longe, quam ab his factum est, processum fuisse.

(f) Confirmat hoc *Dampier* l. c. p. 98. *Il y en toujours autour des milliers, je pourrois peutetre dire des millions, ou assis dans les bayes, ou allans a la mer & en venans. A un mille ou deux de terre vous voyes l' Isle toute converte de ces animaux, qui se jouent à la superficie del eau, ou sont au soleil à terre &c.* Ratione tamen pedum differunt ab illis,

leonum, magnitudine grandium taurorum, paululum diverſae formae quam ſunt illi, qui in Grœnlandia viſuntur. Cum incederent pedibus, elabi non poterant, ubi naſum quis percutiebat, confeſtim exſpirabant. Tam ingens quoq; multitudo canũ marinorum occurrebat, ut promovere pedem non licuiſſet, niſi viam ſibi eorũ cædibus aperuiſſent. Inſula Ferdinandi continet milliaria quatuor. Inculta eſt atque inhoſpita, horrida rupibus inacceſſis, & profundis vallibus; ferax tamen felium efferarum & Capreolarum (g) ſed quas

lis, qui circa terras ſeptentrionales inveniuntur: Audiamus *Freſierium* l. c. p. 141. *Les loups marins s' y trouve en ſi grande quantite, qu'on en voit ſouvent les rochers couverts. Ils different des Loups marins du Nord en ce, que ceux la ont des pattes, au lieu que ceux ci ont deux nageoires alongees à peu pres comme des ailes vers les epaules, & deux autres petites, qui enferment le croupion. La nature à neanmoins conſerve au bout des grandes nageoires, quelque conformite avec les pastes, car on y remarque quatre ongles, qui en terminent l' extremite; peutetre parceque ces animaux s' en ſervent pour marcher en terre, on ils ſe plaiſent fort. La ils jettent des is ſemblables en ceux des veaux, d' ou vient qu' on les appelle veaux marins, mais leur tete reſſemble plutot à celle du chien, qu' a tout autre animal, & ceſt avec raiſon que les Hollandois les appellent* Chiens marins &c.

(g) Si quis miretur quomodo in tam inculta loca haec animalia potuerint pervenire, is meminerit, eas huc translatas eſſe a Joanne Ferdinando, Hiſpano, qui inſulæ nomen dedit. Is cum decreviſſet illam

quas accedere, vel sclopeto tangere vix licet. Multum operae in iis sectandis insumserant, sed nequidquam. Unum nautarum, quem nimium venandi studium in abruptos montium vertices rapuerat, inveniunt mane exanimem, e rupe praeruptâ præcipitem factum una cum sclopeto frustatim comminuto. Posteaquam heic inde a die 25. Febr. ad diem 17. Martii commorati essent, hoc die rursus vela in altum dant, & Kalendis Aprilis conspiciunt *insulam Principis.* (*het princen eyland*) Die sexto, cum versantur sub gradu lat. austr. 27. & longit. 268. vident insulam Europaeis adhuc incognitam plane, cui *paschatos* (het paaschen eyland) nomen dant, quod die, quo memoria resurrectionis Dominicae celebratur, huc appulissent. Incidunt in naviculam coagmentatam ex *frustis* ligni, non majoribus magnitudine manus. Illi insidebat homo colore fusco, quem capiunt, at cum illi non intelligerentur, dimittunt. Die ejus mensis octavo haut rari nantes in gurgite vasto conspiciuntur insulae coloni, immo tanta copia, ut propter eorum multitudinem terram appellere prohiberen ur. Adscendunt illi navem, mirantur omnia, praecipue tormenta bellica in furta & rapinas

illam excolere, tres quatuorve capreolas in eam intulit, ex quibus incredibilis earum deinde copia enata est. Luculenter illam describit *Dampier* dans les *Voyages* T. I. c. 4.

nas(h) valde erant proclives, neque navi discedere voluerunt, priusquam vi ejicerentur. Cum die decimo ejus mensis nostri homines in terram descendere conarentur, innumerabilis hominum multitudo in littore conspicitur, descensum impeditura, sed a nostris repelluntur; Cum enim haud pauci globulis essent vulnerati, reliqui fugam arripiunt; ita tamen ut corpora sociorum, qui necati erant, statim auferrent secum. Mitius tamen agere cœperant deinceps, nostris amice ex tuguriolis suis offerentes terræ fructus, sacchari arundines, Jambe Jambes, Pisanges, & gallinas magno numero. Utebantur autem vestibus versicoloribus ex serico & gossypio contextis. Auribus utebantur longis, & ad humeros usque dependentibus, & eum in modum perforatis, ut vel manum potuisses inserere. Insignis erat corporis (i) proceritas, virorum quidem pedum duodecim, ut vel nostri homines

(h) Sane piceatas manus, rapacesque ungulas fere omnibus esse qui has regiones australes incolunt, unanimi consensu eorum, qui hæc illustrarunt, facile confirmari posset.

(i) De insigni hominum hos terrae tractus, qui propius polum antarcticum adtingunt, inhabitantium magnitudine multa exstant scriptorum testimonia. Num autem accurate ea fuerit tot pedum, more mathematico mensuratorum, non ausim affirmare.

nes inter crura recto corpore transire potuissent. Sequioris autem sexus decem vel undecim. Picti erant & corpus & faciem mares colore rubro vel fusco, mulieres autem coccineo. (k) Idolorum loco venerabantur duo saxa incredibilis magnitudinis. Lapis latissimus incumbebat terrae. Illi impositum erat saxum tantae molis, vt vix a septem hominibus potuerit expansis manibus circummensurari, ita ut incredibile crederetur, illud ab ipsis hujus loci incolis, quanti etiam erant, motum, & huc positum fuisse. Altitudo erat, qualis est trium virorum. Circa cacumen saxi sculptum erat hominis caput, insignitum coronâ, quæ opere tessellato & musivo ex parvis lapillis erat efficta. Numen majoris idoli erat TAURICO, & alterius *Dagô*. (l) Saltim id nomi-

nis

(k) Sed cum passim legamus horum climatum incolas colore subrufo & cupreo nasci, dubitari posset, num & hujus insulae colonis rufus ille color appictus fuerit.

(l) Mirum foret, si non cuiquam hæc legenti cogitatio incideret, hos tam immani corpore Viros Dagonem colentes propaginem fortasis esse illorum Cananaeorum, quos & inter idola sua veneratos fuisse *Dagon*, & humanae propemodum magnitudinis formam excessisse, & a Josua finibus suis pulsos constat. Credibilius tamen est à continente in has insulas ejectos esse. Sane Patagonibus, & freti Magellanici littora inhabitantibus, duodecim

&

nis ei acclamabant. Venerabantur eos saltando, jubilando, circumcursitando, plaudendo manibus, eum in morem, quo vitulum ex auro conflatum veneratam fuisse Israelis progeniem sacrae literae testantur. Cum explodi audirent tormenta bellica, miris gesticulationbus utebantur, digito exserto jam homines nostros, jam saxum monstrantes & ejus veluti auxilium imploraturi clamabant, *Dâgo*, *Dago*. Increbuit interea ingens aëris tempestas, qua parum aberat, quin omnium navigiorum suorum jacturam fecissent Belgae. Oceano se itaque committunt iterum die Aprilis duodecimo, cursumque dirigentes ad occidentem die 21. se deprehendunt constitutos sub gradu 27. lat. austr. milliaribus 650. à provincia Chili; Die Apr. 27. sunt sub gradu 23. & min. 2. Intera commeatus valde imminuit, aqua deficere, morbi scorbutici crescere, panis mucore & rancedine corrumpi, & reliqui cibi vermibus scatere, & perquam pusillâ mensurâ distribui. Die vigesimo Maji perve-

& amplius dodrantium staturam innumeri, iique oculati testes adtribuunt. Hos autem tantae molis viros propaginem esse illorum Phoenices vetustorum incolarum per fretum Gaditanum & Oceanum in has oras ejectorum, & per terram continentem posteris temporibus in cirmcumjacentes insulas dilapsorum ecquis temere vel adseverare ausit vel inficiari?

veniunt sub gradum 14. & min. 41. multae ibi cautes, atque insulae, ut dixisses, ibi fuisse olim continentem; Inter illas eminebat, multis fluminibus divisa, quam ea propter vocant *insulam* aquaticam. (*het Water Eyland.*) Heic in scopulos frangitur una navium, (die Africaense *Galey*) salvis tamen hominibus. Ob fluctuum motus (vocant die *branding*) non licebat iis terram navi contingere. Quinque tamen homines nimiarum pertaesi molestiarum sua sponte in insulâ manserunt, armis & victu ex navis, quae perierat, reliquiis sic satis instructi. Die 25. Maji praeternavigant insulam, quae à *muscis*, quarum heic incredibilis est numerus, nomen tulit. Die Maji 29. inter cautes insulasque versantur, videntque hinc inde fumum, sed non datur accessus, deprehendunt autem se sub gradu 15. latit. Austr. & m. 17. longitudinis autem 224. tum versari. Kal. Junii insulam inveniunt nondum Europaeis exploratam. Incolae, & excellenti forma homines, & coloris non minus albi, quam si in his regionibus geniti essent accessu eos prohibere conantur, insilientes in aquas, hastisque, quarum cuspides armatae erant praeacuto ligno, igni ac si ferrum esset, durato, in eos involant. Cum autem sclopos bombardarum minorum percepissent, praecipiti cursu praealtae rupi insiliunt. Tum induciis quasi factis nuces & her-

herbas amaras ſpecillis, corallis, pectinibus, & id genus mercibus aliis permutant. Interea cum peranguſta via inter petras exploraturi terram procederent, obviam fit iis ſenex manu ſignum dans, ne pergerent, ſed retroirent, &, ut ſignificaret, quod iis imminebat periculi, lapidem in terram ante ſe projicit. Illis haec non hujus curantibus, ab omni parte ingens lapidum nimbus in capita eorum decidit, quo cum multi vulnerarentur, vel inviti referre pedem coguntur. Homines illi uniones ſatis grandes geſtabant in auribus, corpus & collum ornabant margaritiferae conchae. Hanc inſulam, quod ferax eſſet herbae amarae quidem, ſed ſalubris, vocata eſt inſula refocillationis. (*verquickingseyland*) poſita ſub gradu lat. A. 15. min. 47. longit. 224. Interea temporis cum paulatim alimenta deficerent, morbi autem augerentur quotidie, ſpes decollabat eo, quo intendebant, perveniundi. Die itaque tertio Junii deliberatione inſtituta decernitur, reverſionem in patriam per Indiam Orientalem mutata velificatione quaerendam eſſe. Conſtituti tunc erant ſub gradu Lat. Auſtr. 15. min. 41. at longit. 221. min. 18. &, ut judicabant, a Peruvia remoti ſpatio duodecies centum milliarium. Die Jun. 12. cognoſcunt ſe verſari ſub gradu Lat. A. 15. min. 16. at longit. 205. min. 8. Die 14. vident duas inſulas, ſed ob exaſpe-

ratum vehementius mare accedere propius non erat integrum. Interea multis lembis cinguntur eorum naves. Erant autem tam eximii operis, tam affabre iis insculptis figuris nobiles, ut nihil suprà. Certe Europaeorum arte venustius caelari nequivissent. Incolae armati erant jaculis, capita ornati foliis viridibus,& corpus arundinibus. Haec Insulae à navarcho Boumanni nomen tulit. (het *Boumans eyland*) Amoena erat adspectu, fertilis, consita arboribus, plena palmetis.

Die XV. vident insulam per septem leucas protensam, & gradibus ab aequinoctiali circulo 13. minutis 41. a primo autem meridiano gradibus 200. min. 55. distantem, sed, quo tempori parcerent, descendere non audent, quod quotidie miseriae eorum & morbi magnis accessionibus augerentur. Die 18. Julii multas insulas conspiciunt, & inter eas novam Selandiam, quae est milliarium circiter trecentorum, & sita sub gradu lat. austr. sexto, min. 4. longit. 166. Die Julii decimo cum tentarent descensum in terram, occurrunt loci incolae magno cum clamore. Statura erat novem, decemve pedum, color niger, toti paene nudi, ingenii audacis ac ferocis, vident tantum mares, non feminas, neque infantes. Intrant incolarum casas, & praeter poma, quae vocant *patattes*, & retia piscium nihil in-

veniunt. Die 22. Jul. cum perveniſſent ad gradum lat. auſtr. 2 m. 25. longit. 156. min. 15. vident plusquam quinquaginta inſulas, milliaris circiter ſpatio diſſitas. Die 31. Jul. anchoram figunt prope inſulam Gramoam, (quae, ni fallor, haud alia eſt, ab illa, quae in tabulis Geographicis vocatur Arimoa,) ſuis cultam incolis, neque longe diſſitam ab Inſula Moa, vel Demoa, necdum habitata. Cum cymbulis aliquot ad illam aditum molirentur, plus quam viginti naviculae iis obviam fiunt, plenae virorum arcubus & ſagittis armatorum. Patiuntur tamen noſtros homines in terram deſcendere, novorumque hoſtium adſpectu perculſi, cingunt eos ab omni latere & viri, & feminae, & pueri omnes arcubus inſtructi, cumque forte quidam noſtrorum glande aenea petiviſſet arborem, ita, ut nux, quam Cocos vocant, decideret, atque avide diriperetur, expedite more felium inſiliunt arborem, eamque ſuccutiunt, atque alacriter noſtris hominibus nuces abundanter colligendas exhibent. Cumque accepiſſent cultellos, tabacum, fiſtulasque, & id genus alia, largâ copiâ nuces & poma Aurantia, imo & arcum cum telo ſuo ἀνπδωρα loco Belgis offerunt. Homines illi deformes erant adſpectu, praeſertim mulieres, hae in perforatis naribus bacillos, ad unius non ſolum digiti, ſed pedis, ſive dimidii cubiti longitudinem geſtabant. Ad-

veſperaſcente coelo deſcendunt in inſulam Demoam, navem oneraturi nucibus & piſangiis. Die Sextilis 14. praeternavigant *Schouten Eyland*. Die 16. lineam aequinoctialem tranſeunt. Die 25. conſpiciunt novam Guineam, die 26. inſulam Gilolo. d. 27. Amboinam, die 28. Ceram, die 29. Bouro. Kal. Septembribus Celebes. Die ejus menſis ſeptimo Javam, die nono veniunt Japparam, ubi vident crocodilos multos in littore; quos nullo negotio (m) in fugam conjiciunt. Die XI. cognoſcunt integrum diem iis periiſſe, cum enim feriam ſextam hebdomadae ſe agere putarent, ſeptimam, i. e. diem Saturni ſe jam attigiſſe conſpiciunt. (n) Die Octobris tertio tandem enecti prope fame,

(m) Confirmari inde poteſt, quod in diſſ. de Leviathane c. II. §. 12. ſqq. aſſerui, capturam harum beſtiarum, non tam difficilem eſſe, quam vulgo putatur.

(n) Notum eſt, id illis omnibus accidere, qui totam tellurem circumnavigant, vel per fretum Magellanicum ad Indos Orientales contendunt, ubi ſcilicet integrum diem ſe perdidiſſe deprehendunt, quando in Indiam pervenere. Geographi paſſim hujus rei cauſam indagant, quae citiori & tardiori ſolis occaſui adſcribenda eſt. Omnium primo id contigit *Joanni* Sebaſtiano a Cano, Ferdinandi Magellani comiti, qui cum an. 1521. primus omnium totam terrarum orbem circumiverat, redux deprehendit diem *Jovis* eſſe, quem putabant eſſe Mercurii, adeoque integrum diem amiſſum.

me, & saevissimis tum ardoribus solis, tum noctis frigoribus fracti, veniunt in urbem Bataviam, quae princeps est urbium Orientalis Indiae, Belgis parentis. Ut autem appulerant, ut prohibentur navibus egredi, & post aliquot dierum intervalla & navigia & merces, & homines confiscantur. Hi etiam vel in custodiam mittuntur, vel operis servilibus addicuntur. Neque enim permittit societas Orientalis Indiae Belgica cuiquam, Tros Rutulusve fuat, nisi suo jussu suisque auspiciis, adventum in has oras. Quanquam enim dura diraque & pene inevitabili necessitate compulsi in has plagas adveniissent, non exercendae mercaturae, sed salvandae vitae causa, quamquam & se è Belgicâ profectos, à Belgis ablegatos, & miseriis omne genus paene confectos esse clamarent, non tamen haec eos tutos, liberosque praestare potuere. Quin in magni beneficii loco iis ponendum fuit, quod iis omnibus bonis, & navigiis spoliatis post duorum mensium commorationem permitteretur redire in patriam. Et ita postridie Kal. Decembris Batavia solvunt, die 12. Februarii anni sequentis MDCCXXIII. promontorium Bonae spei appellunt, & tandem post enavigata duodecies mille milliaria & transmissam quater quinquiesve Zonam torridam, innumeris exantlatis periculis, laboribus & molestiis, omnium rerum vacui post exactum

biennium die 8. Julii in Texeliam insulam perveniunt. Noli tamen putare id de omnibus esse dictum. *Pauci, quos aequus amavit Jupiter!* Tristes enim tantum reliquiae, & vix duodecima pars eorum, qui iter ingressi erant, redditæ sunt patriae. Ex plus quam sexcentis, qui exeunti classi impositi fuerant, tantum tribus supra quinquaginta datum fuit

Fumum de patriis posse videre focis:

Ex CXI. qui una vecti fuerant navi, trium illarum minimâ, *sex* tantũ evaserunt, quorum uni hanc relationem debeo. Omnes praeter concussam tot incommodis valetudinem, ventresque inaniis, sacculosque araneis oppletos nihil retulerunt mercedis. Pro thesauris Ophiriticis, quibus inhiabant, vix carbones invenerunt. En vivam tibi rerum humanarum imaginem! Et nos currimus, laboramus, insomnes noctes ducimus, fatigamur, affligimur, alicujus aut lucri, aut gloriae vana spe excitati! Praeter fumum, & umbram vix aliquid praemii ferimus. Quae meditanti, sequentes excidunt versiculi;

I per inaccessos terram quae vergit ad austros,
Climata per Boreae frigore pressa redi;
Eois lustra contraria littora campis;
Regnaque, qua surgit sol, Nabathaea pete.
Viscera nil praeter macerata fameque sitique,
Membraque sive aestu torrida, sive gelu,

Nil

Nil praeter vacuasque manus, vacuosque locellos,
Et lacerae referes taedia mentis inops.
TERRA VALE, noſtris ſtatio male fida carinis,
Non deſideriis es ſatis apta meis.
Ah! quoties fallax corvos deludis hiantes,
Et fumo & ventis paſcis, alisque tuos.
Divitias Croeſi promittis, & aurea regna,
Et mera das nobis ſomnia; TERRA VALE.
ASTRA PETAM, niveis quis me circumlabit alis,
Sive aquilae, pernix ſive columba tuis?
ASTRA PETAM; heic axem pedibus preſſurus utrumque,
Mirabor nitidi limina celſa poli;
ASTRA PETAM; nullis ubi me minuenda procellis,
Turbine mulcebit nec temeranda quies.
ASTRA PETAM, & DOMINI requieſcens tutus in ulnis,
Delitiis ſemper, laetitiisque fruar!

T. d. H.

VII.

Joh. Jacobi HULDRICI,

V. D. M. & Philoſophiae moralis, jurisque Naturalis in Athenaeo Tigurino Prof. publici

GUALTHERUS REDIVIVUS,

ſive de vita & morte

RODOLPHI GUALTHERI,

Oratio. (a)

ARGUMENTUM.

Gualtheri patria, parentes, genus, nativitas §. 1. Educatio §. 2. Proficiſcitur Lauſannam, Marpurgum, Ratisbonam §. 3. In Angliam, ubi bis ſingularem Dei providentiam expertus eſt §. 4. Admovetur muneribus. Fit Proviſor ſcholae Carolinæ, Paſtor Schvvammendingenſis, & deinde templi ad B. Petri §. 5. Bis matrimonium iniit cum Zvinglia & Blaurera. Generi. §. 6. Filius unicus praeclarae ſpei moritur. §. 7. Edit de *Anti-Chriſto* librum. Qua re ſibi invidiam excitat. §. 8. Summo periculo modo valde commemorabili liberatur. §. 9. Succedit Bullingero §. 12. Donatur rude, moritur. Ejus ſucceſſores §. 11. 12. Ejus laus. Eruditio. §. 13. Labores §. 14. Commercium literarum. §. 15. Hoſpitalitas §. 16. reliquae virtutes §. 17.

§. 1. RO-

(a) Habita illa eſt publice Tiguri add. VIII. Kal. Jan. anno

§. 1.

RODOLPHUS GUALTHERUS, patriam sortitus est, veterem illam doctorum hominum nutriculam, Tigurum nostrum, Helveticarum urbium principem, non tam originis vetustate, & crebra fortunæ varietate, & rebus multis & pace & bello fortiter gestis, & plurimis dotibus aliis, quam quidem restitutæ religionis gloria, & tot præstantium hominum, quos tum ardens ad sidera evexit Virtus, tum præcellens usque ad seræ posteritatis memoriam insignes fecit eruditio, quibusque alma hæc nostra parens aut natales ipsa, aut ubera saltem dedit,

clo IocCXXIII. Copia ejus mihi facta est non ab ipso auctore, Viro pietate in Deum, eruditione, meritisque in cœtum Christianorum praecellentissimo, sed ab utriusque communi amico. Spero tamen eo haud invito me ejus ἐκδοσιν heic loci suscepisse. Saltim eo Lectori eam fore gratiorem confido, quo pauciora sunt, quae de summo illo viro apud Adamum, Verheyden, Konigium, Freherum, Tessierium (*dans les eloges T. III. p.* 412.) leguntur. Et sane saepe miratus sum, unde factum sit, ut cum Helvetii in consignandis heroum suorum literatorum vitis tam diligentes optimo exemplo sint, hujus Viri, cui sane inter hos locus non ultimus debetur, memoriam fere neglexerint. Putavi autem, ea, quae ad historiam Gualtheri non spectabant, praefationem, conclusionemque commode omitti posse. T. d. H.

dit, magnitudine & multitudine ante omnes, non Helvetiæ duntaxat, non Germaniæ unius, ſed, abſit invidia, totius Europæ Urbes memorabilem. Patrem habuit ex honeſtiſſima & vetere familia, quæ niſi ex ſe prius nota fuiſſet, à RODOLPHO noſtro accipere potuiſſet memoriæ ſuæ initium, *Andream Gualtherum*, hominem integerrimæ exiſtimationis & antiquæ Virtutis, Fabrum lignarium, exque illa adeo hominum ſorte, ex qua ipſi æterno Dei Filio, humanam naturam induto, ut hoc quidem tempore ejus rei memoriam ſolemniter recolimus, curator & tutor contigit. Matremvero *Adelheidam Glattfelderam*, fæminam omni ſexus laude præditam, & quam vel ex filio poſſimus agnoſcere. Avus ejus paternus fuit *Henricus Gualtherus*, vir armis clarus, & in bello Mediolanenſi ſignifer, qui ſuis virtutibus poſt quatuor alios ejusdem generis ad Tribunitiam dignitatem provectus optima Reip. noſtræ officia præſtitit. Non ergo Gualtherus ſplendidè, ſed nec obſcurè natus fuit; natus non quidem cum multis, quæ vitiorum ſæpe aut velamenta aut irritamenta ſunt, ſed nec ſine omnibus imaginibus, qui vel absque illis poſteris luculenta virtutis & conſummata imago exiſtere, gentem ſuam æternare, & plus gloriæ majoribus reddere, quam ab iisdem accipere potuit. Et natus quidem non ſine fato, poſtridie Calendarum

rum Octobris, anni illius magni & æternis fastis digni supra Millesimum quingentesimi undevigesimi, quo magni *Zuinglii*, futuri sui soceri obstetrice opera Ecclesia nostra spiritualiter renata est. Natus est insuper properanter, & partu præcoci & septimestrali. Et ne forte ab Ecclesia ad Architecturam avocaretur, patre suo, antequam natus esset, orbatus est, inter illustres posthumos magno suo merito recensendus. Mortalitatem autem explevit optimus iste GUALTHERI parens casu Tragico. Cum enim forte fortuna præteriret ædem illam Tribunitiam, cui *Cumelus* symbolum est, quæ circa illud tempus ex ruinis suis exstruebatur, illapsa in caput nihil tale ominantis abiegna trabes tanto impetu fuit, ut animam protinus exhalaret. Quo tristi nuncio denati Uxor, cui dulci pondere septimo jam mense tumebat Venter, exterrita uterum ferre desiit, *Gualtherulumque* suum ante diem abjecit; adeo parvulum, adeo minutulum, atque pusionem, ut parvi alicujus & in nodum quasi collecti cadaveris verius, quam veri infantis spectaculum præbuerit. Ex veteri de hoc partu relatione parvulus iste Æneas, nec major nec carnulentior fuerit elixa aliqua eaque emaceratissima costa: Er was weder gröſſer / noch leibiger / als ein gekochtes mageres Ripplein. At quantus è quantillo GUALTHERUS factus est? Videba-

batur hoc vatidico afflatu præsagire. Vir de Rep. nostra præclare meritus, D. Sprünglinus, ærarii tum publici Quæstor, GUALTHERIQUE ex sacro fonte susceptor, qui illi per omnem vitam patris affectum exhibuit. Cum enim iste cerneret, mœstam matrem omnem de vita pueruli producenda spem abjeciſſe, blandum isthoc animo dolore fracto fomentum suggessit: Quo minor jam iste tuus RODOLPHULUS puer est, eo major olim Vir erit. Nec certe vanum fuit hoc boni Viri augurium. Servatus enim provida Numinis cura dulciſſimus infans, & tandem Vir factus, inter maximos etiam Dei Heroas verticem tantum extulit, quantum lenta solent inter viburna cupressi. Prodigiosa itaque suo modo fuerunt GUILIELMO nostro vitæ initia, quam illius prodigiosa fuerit progressio, nunc porro videamus.

§. 2. *Adeò* læta nempe in puero etiam peradolescentulo adhuc indoles emicabat, ut quam primum labia in dimidiata verba frangere poterat, jam supra quam ætas ferat, sapere ab omnibus judicaretur. Postquam itaque in urbe patria primis literarum elementis imbutus esset, cœlestesq; illi in mente igniculi læto lumine coruscare cæpissent, Quæstoris *Sprünglini* prima cura fuit, ut literarum studiis maturè admotus is tandem esset, qui ob mirificam indolem fieri facilè poterat.

erat. Florebat tum pueris, totaque Helvetia celeberrima fuit schola ad *Capellas*, Cœnobium in agro Tigurino factionis Divi Bernhardi, quod si antehac fuit ignobile, magnitudine profecto cladis, quæ hinc nomen traxit, emersit. In illam ergo scholam GUALTHERUS provida Tutoris sui cura anno ætatis nono ablegatus est, ibique prima eruditionis tyrocinia sub magni primum BULLINGERI, & Johannis postea *Liberiani* auspiciis ita deposuit, ut æquales omnes post se longis intervallis relinqueret, præceptorumque exspectationem incredibili industria etiam superaret. Sed nonnisi per Triennium hic GUALTHERUS substitit, eoque exacto Tigurum, anno illo fatali, qui & tot magnis sanctissimisque viris indignas mortes & toti Tigurinæ civitati funestam cladem intulit, Trigesimo primo rediit, in Bullingeri ædes receptus. Possitis vel ex hoc facere conjecturam A. A. quam fuerit emendatus iste puer, qui à gravissimo Viro & incomparabili ingeniorum æstimatore effuse adeo amabatur, ut tectis illum ac sedibus suis receptaverit, inque ea domo vivere voluerit, in qua omnia, vetere majorum norma, ad honestum & ad dignitatem referebantur, quo præstantes & usu magnarum rerum & doctrina viri quotidie, tanquam ad Oraculum confluebant, unde Eruditionem, unde prudentiam, unde optimæ vi-

vivendi rationem & fideliſſimum præcipiendi genus, exempla vix duodecennis GUALTHERUS affatim petere poterat. Triennii rurſus ſpatium in Bullingeri aedibus à GUALTHERO peractum eſt, totoque illo tempore alterius hujus parentis revera amor & deliciolum fuit, illius lateri aſſiduus hæſit, idemq; illi amicitiæ gradus apud Maximum Virum patuit, qui filio patere ſolet & apud parentem. Bullingerus GUALTHERI animum quotidie novis gloriæ facibus incitavit, GUALTHERUS Bullingero ſtudia ſua indies novis profectibus probavit, & quod ardentibus ingeniis à natura tributum eſt, hujus ductu atque opera ætatem ſuam antevertit & cum ipſa ſemente fructus tulit, anno ætatis ſuæ decimoquinto is jam factus, ad quem communia civium noſtrorum vota, tanquam ſummum Eccleſiæ olim noſtræ decus jam tum propenderant, & concordes omnium ſpes ſe erexerant.

§. 3. At cum GUALTHERUS non ſibi duntaxat & patriæ, ſed etiam aliis terris & Eccleſiis eſſet natus, nec voluit nec debuit paternæ domus perpetuus cuſtos eſſe. Erat tum Lauſanna commune quoddam eruditionis in Helvetia, uti Marpurgum in Germania Emporium. Tiguro ergo GUALTHERUS primum quidem Lauſannam, deinde Marpurgum ſe transfert, utrobique ob igneum ſpiritum, ob proficiendi helluonem animum, ob erectum ac mirabile ingenium

mox

mox inclareſcens. Imo hic pótiſſimum juvenis ad alta ſurgens famæ vexillum primus extulit. Vix enim unum alterumve menſem in hac bonæ mentis palæſtra egerat, cum fama ejus ad ipſum glorioſiſſimæ & nunquam perituræ memoriæ principem, *Philippum* Landgravium defertur. Cumq; circa illud ipſum tempus (annus ſeculi fuit quadrageſimus primus) Magnanimus princeps una cum aula Theologisque ſuis abitum ad Comitia Ratisbonenſia meditaretur, GUALTHERUS ſplendidi comitatus multa pars, Theologisque Haſſiacis ab Epiſtolis eſſe jubetur. Et hæc quidem profectio AA. cauſa potiſſima futuræ magnitudinis, quam inter doctos conſecutus eſt, fuit. In illa enim ex ſeceſſu & otio literario, ex fumo adeoque & umbra in fulgorem & lucem protractus, non modo in iſtis comitiis multa magnaque vidit nomina, Carolum Vtum Imperatorem, ſi Religionis melioris odium excipias ſine pari; Maximos item Electores, principes; duces, Cardinales, Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, ſed & quod majus eſt, multis ex illis innotuit, &, quod maximum, magnis Dei viris & verè θαυμασίοις, *Philippo Melanchthoni*, *Martino Bucero*, *Joanni Sturmio*, *Caſparo Crucigero*, aliiis item & alis amicus & familiaris factus eſt. (*) §. 4.

(*) Narrationem ipſius itineris prolixa & memorabili GUALTHERUS ad Bullingerum Epiſtola executus eſt, quam au

§. 4. Itineri huic adjicienda est recensio alterius, quod GUALTHERUS noster Lausanna Tigurum ad tempus redux, una cum Nicolao *Partrigio* Anglo in Angliam suscepit. Quatuor illud mensibus & aliquot diebus finitum est, inciditque in annum seculi trigesimum septimum, estq; vel hoc nomine quod ad posteritatis memoriam disseminetur, dignũ quod GUALTHERUS in illo admirabilem Dei erga se providentiam plus uno specimine expertus est. Ut enim alia taceam, hæc fuit, quæ nobis magnum juvenem bis ex ipsius Libitinæ faucibus servavit. Primum quod GUALTHERUS in hac profectione eluctatus est, summæ diei periculum hoc fuit: Secundo Rheno Bonna Coloniam cum defluueret, coorta est subito maxima & spurcissima cœli intemperies, largumque cum nivibus imbrem excutientibus procellis fluctibus etiam intumuit exæstuans Rhenus, ac spumante impetu utrumque navigii latus ita verberavit, & ursit, ut navarchus ipse de cymba, quæ obliqua jam & gubernaculi impatiens agebatur, salva in portum collocanda desperans animum abjecerit, reliquorum vero nauticorum non tam ad Deum, quam ad Mariam omnesque sanctos & sanctas rauci clamores littoribus passim ripisque resonuerint, donec tandem remis pertinacius evec-

toris hujus benevolentia faciet, ut eam alio loco, tecum. B. L. communicare possim.

everberatum flumen ceſſit, Deus in ſuppetias venit, & quia ſubmerſione haud procul abfuerunt, quanquam ægre & toto corpore permadentes in proximam ripam evaſerunt, pedibus iter ad Coloniam reliquum inter ſoteria emenſi. Servavit hic Deus GUALTHERUM ex periculo ; Audite inſuper, quam illum mox ſervaverit à periculo. In itinere *Dynkerkam* cum veniſſet cum ſocio GUALTHERUS, ingens cupido utrumque ſtimulavit quantocyus transfretandi, præſertim, cum emuncti jam forent illorum loculi, resque illis fere rediiſſet ad ſtipem. Conquirunt ergo incredibili aviditate, quæ in Angliam iret, navim, conquiſitamque conducunt, de portorio cum portitore paciſcuntur. Indicitur deducendæ navis hora. Redeunt temporius etiam, quam ex pacto oportuiſſet, ad portum. Sed eheu ! perfidus Palinurus jam ſolvit, aque magna plane ſpe optimos juvenes deſtituit, qui parum abfuit, quin cum deficiente crumena animis etiam deficerent. Sed admirabilem Numinis providentiam ! Vix unam alteramve horulam muliebriter ſe lamentis lachrymisque dederunt boni iſti homines, cum ecce nova iis, quanquam lugubris aliis, gaudii materia ſubnaſcitur, mox enim vertit ventus & ſubito ſpiſſæ nubes intendunt ſe cœlo. Tum inhorreſcens etiam mare paulatim levari, deinde acriori vento concitatum flu-

ctus ciere, imo quid dico, integros aquarum montes volvere & revolvere, & maxima inter se navigia collidere, horridumq; nostris spectaculum præbere, videntibus jam & palpantibus, ipsum cœlum inexplicabili fatorum Lege & occulta sua cura eos servatos voluisse. Mersa enim mox profundo salo fatalis ista, ipsisque tantopere desiderata navis & vere Cymba Charontis omnes, quos vexit, misere destituit. Sic quos magnis rebus destinat Deus, maximis periculis eripere solet, & submersionem sæpius minari, sed minari tantum illis, quos omnium maxime ad gloriam suam emergere vult.

§. 5. Atque hactenus, ut privatus vixerit GUALTHERUS vidistis AA. nunc quis ejus ad publica munera aditus fuerit, operæ pretium erit percipere. E Germania igitur Tiguro suo redditus, quod ipso illo comitiorum Ratisbonensium anno, quæ ætatis GUALTHERI fuerat 22dus, factum est, paratos jam sibi invenerat, præsertim postquam major fama sua inventus fuisset, honores, Scholæ mox Carolinæ provisor & Schwammendingensis pastor declaratus. Sed angustior fuit hæc Scena, quam ut in ea tam vastæ mentis Thesauri explicari satis possent. Aperiendum fuit theatrum illustrius. Cum ergo anno mox insequente 42do Plebanatus in summo Urbis Templo vacuefieret, illi mox GUALTHERUS suffectus, sed &

vix

vix huic ſpartæ admotus eſt, cum magna & nobilis urbis noſtræ pars majore illum luce dignum judicaret. Diem ſuum obiit intra primum ab Ordinatione GUALTHERI in Cathedralis Eccleſiæ Diaconatum Octiduum cum maximo omnium piorum mærore Vir laude ſeculoque major, *Leo Judæ*, paſtor ad D. Petrum. Cumque in illius ægroti & lenta tabe confecti vicem GUALTHERUS noſter cœtui Petrino aliquoties fuiſſet à Concionibus, non diu *Leoni* quærendus fuit ſucceſſor. Paratus & quaſi proviſus erat, qui plus ſemel omnes ab ore ſuo pendentes habuit, auditoribusque in morem nivis ſupervenit, validus facundia GUALTHERUS. In illum ergo mox illus cœtus homines irruunt, & vix tres & viginti annos natum concordiſſimis calculis in paſtorem ſuum, quaſi omnes ejus deditii fuiſſent, eligunt, raro, imo forte nullo Exemplo. In qua ſtatione quanta cum cura, quanta cum prudentia, qua canus erat GUALTHERUS ante canitiem, imo ferme ante primam lanuginem, ſit verſatus, quam maſcule in juvenili etiam ætate magnam iſthanc fortunam ceperit, quam ſe omnibus bonis paſſim commendaverit, quo Zelo purioris doctrinæ & incomparabilis pietatis facem auditoribus ſuis prætulerit, quot monumentis omni ære perennioribus, quæque nulla exedet vetuſtas, in impedito alio-

quin hoc officio victuri nominis famam ad ultimæ ætatis memoriam prorogaverit, quas pro Deo moleſtias voraverit, &c. &c. nulla erit tam muta poſteritas, nulla tam ingrata fama, quæ non debitis in Cœlum laudibus elatura ſit. Multa cadunt intra calicem ſupremaq; labra, plura intra 33. annorum, quibus GUALTHERUS maximo hoc officio diſtrictus fuit, ſpatia. Haud ingratum eſſe poterit vobis AA. HH. haurire auribus præcipuos caſus, quibus vita GUALTHERI interea acta decurrerit. Audietis hic quædam prodigiis ſimillima, imo prodigia mera.

§. 6. Prodigium equidem haud fuit, quod GUALTHERUS noſter, dum totus in eo eſt, ut ſpartam, quam nactus eſt, exornet, de nuptiis cogitare cœpit. Sed habuit aliquid ſaltem ex prodigio, quod Eruditus ad Eruditi, paſtor ad paſtoris, futurus olim Tigurinorum Antiſtes ad Tigurini Antiſtitis, Reformator ad Reformatoris filiam animum adjecerit, ſibique adeo GUALTHERUS in vitæ ſociam delegerit *Regulam ZUINGLIAM, Huldrici Zuinglii*, magnanimi illius Herois & primi Romanæ Tyrannidis in Helvetia concuſſoris filiam, & generis adeo honeſtate, & vultus dulcedine, & morum comitate inſignem aque multis præclaris prorocis expetitam Virginem. Duxit GUALTHERUS

hanc

hanc Uxorem anno ſeculi 41mo, amiſit eandem anno 65to. Cum illa proin per quinque fere luſtra concordiſſime vixit, nullaque inter illos lis, niſi ſola amoris fuit. Hinc Zuingliæ ſuæ obitum Gualtherus impatientiſſime etiam tulit, & admirando ei Carmine parentavit. Quod dum vobis non præcino. AA. & oculis profecto veſtris, & auribus parco; auribus, quia prolixius eſt & beatiori vena effuſum; oculis, quia ejusmodi inſuper ut pumiceos illos eſſe oporteret, ſi ad talia non lachrymis rorarentur. Sacravit Gualtherus noſter animo paululum à mœrore adlevato ſe novæ Sodali Vitoduri anno 66to in ædibus redivivi illius Ambroſii, & viri ſui nominis, i. e. vere immortalis *Ambroſii Blaureri*. Fuitque illa *Anna*, Filia Thomæ Blaureri de Gyrſperg, viri nobilis, præclari & qui melioribus temporibus Conſtantiæ geſſerat conſulatum. Novos certe honores novus iſte gener in illuſtrem alioquin & plurimas imagines ſuſtinentem Familiam intulit. De liberis, quos Octo ex utrisque votis Gualtherus ſuſceperat, multa dicere feſtinatio prohibet. Henricum Bullingerum, Bullingeri illius κατ' ἐξοχὴν Filium, *Joſiam Simlerum*, *Henricum Wolphium*, magna utique & ad faſtos etiam nomina, per Filias generos nactus eſt. Plura dicere haberem de unico Gualtheri Filio, qui, ut paterni nominis, ſic & paternarum Virtutum ex aſ-

se hæres fuit. Sed obruor ferme argumenti majestate & dicendorum copia. In pauca ergo rem contraham : Iste igitur Gualtherus Filius, in quo omnis chari parentis cura steterat, omnesque ejus spes sitæ fuerant, futuri ad minimum magni Antistitis aut celebris Theologiæ Professoris rudimentum atque magnum incrementum, vixdum adolescentiæ spatia media emensus & ex Anglia, ubi anno ætatis uno & vigesimo in Celeberrimis Academiæ Oxonienſis Comitiis artium magisterio publice auctus fuit, domum redux factus, & mox præcipuæ apud nos & patriciæ Æscherorum familiæ, ducta in uxorem & forma, & moribus, & generis natalibus & dotibus aliis ornata Virgine, *Maria* ÆSCHERA, innexus, & patri etiam suo & affini Bullingero successor datus, postquam ut ipsissima jam patris Imago omnium in se oculos animosque advertisset, inque eo cuncti & singuli patris acumen, genium & loquutionem mirari simul & deosculari solerent, o vim fatorum insuperabilem! in morbum inexplicabilem implicatur, & in maximarum rerum impetu cursuque crudeli funere extinguitur, annum ætatis agens 25tum, summa utique consecuturus, si virtutes ejus maturuissent. Amissi desiderio adflicti sunt boni omnes, eruditi passim, qui quantam sui aviditatem apud illos reliquerit incomparabilis & vere consummatus adolescens,

scriptis plurimis in ejus memoriam Epicediis, testati sunt. (a) Ut tamen viventem nemo ardentius amavit, sic defunctum nemo impatientius requisivit ipso patre, utpote cui tot in hoc uno spes una quasi hora mortuæ, extirpatæ & terræ mandatæ sunt. Interim illud impatientius sensu latino, non alio hic acceptum velim. Alioquin enim bonus & orbus parens se præclare satis tragicæ huic scenæ aptavit, & si non hilari. forti tamen & constanti vultu personam sustinuit, quam imposuit magnus ille ædilis & vitæ necisque omnium Dominus. Quod si per tempus liceret, divino, quod in præcocem tanti Filii abitum Gualtherus pater conscripsit, ineditoque hactenus carmine vobis possem confirmare.

§. 7. Sed levia forte hæc sunt & transeunda præ iis, quæ jam memorabo. Edidit nempe Gualtherus noster anno seculi 46to *Antichristum* suum, i. e. quinque conciones de Antichristo habitas, in quibus tetrum illum peccati hominem & atrum perditionis

(a) Adjecta illa sunt *J. Gul. Stuckii* vitae Josiae Simleri typis exscriptæ Tigiri 1577. Non contemnendum carmen hujus Gualtheri F. adjectum est Josiae Simleri vitae H. *Bullingeri* editae Tiguri 1575. sub hoc titulo. *Militia Christianorum in his terris adversus Satanam, carnem & mundum militantium.* Alia ejus opuscula recenset Jo. Jac. Frisius in Bibliotheca Gesneri p. 734. b. T. d. H.

nis filium vivis adeo coloribus pinxit, ut nemo jam fuerit, quin in illo ipsissimum Papam Romanum agnosceret. Maximam quidem insignis iste ingenii fœtus & magnæ mentis opus, præsertim postquam mox ab ipso Gualthero Latina veste indueretur, ab aliis autem in alias & fere omnes Europæ Vernaculas Linguas transfunderetur, apud omnes veritatis amatores gratiam authori suo, sed majorem longe apud ejus osores, & Curiæ Romanæ, imprimis in Helvetia nostra, Curculiones & parasitastros invidiam conflavit. Nec satis isti habebant, hominem de publica veritate bene meritum linguis veneno tinctis confodere, librum ultricibus flammis, suis quique locis exurere, iramque Dei in caput Authoris detestari, sed Ampliss. insuper Magistratum nostrum ausi sunt confœderati Cantones pontificii missis in hanc rem multis libellis querulis solicitare, ut Gualtherum nostrum, de quo omni asseveratione affirmabant, illum ob editum hunc libellum ultima pœna dignum esse, de gradu saltem suo dejiceret, & ceu hominem fœdifragum solum vertere juberet, in publicis etiam comitiis minati, se, nisi id nostri facerent, bellum quo tota Helvetia denuo arsura sit, impigre renovaturos esse. Metuebant multi hinc Gualthero nostra pessima multa. Sed in cassum. Verberarunt quidem hæc omnia Amplissimi Magi-

stra-

ſtratus aures, ſed animum non moverunt. Evaſit itaque hunc turbinem Gualtherus, ſed ſuperandus ei mox fuit alius.

§. 8. Nihil nempe ulli papalium nefaſtum dehinc in Gualtherum videbatur, & ſicis, gladiis, pugionibus, vulneribus patere homo adeo execrabilis credebatur inultus. Inde mirum non eſt, ad ultimum eum periculum veniſſe, præſertim cum iſti homines ſanguinaria de Gualthero Conſilia jam ſociaſſent, imo præcipites quosdam & ad omne obſequium venales animos promiſſis, quanta ipſorum fortuna capiebat, oneratos ad ultimum nefas in Gualtherum admittendum ipſo opere impuliſſent, qui occaſioni indies imminebant, agitatum ſcelus exequendi. Sed cavit iſtud Deus, ſtructasque exitiales in inſons caput inſidias ſequenti ratione averruncavit. Dies olim Veneris fuit, & obſcura adhuc lux, cum Gualtherus pio more ad ſummum Urbis noſtræ templum citis paſſibus contenderet, auditurus Bullingerum concionantem. In via dum eſt, jungit ſe ei Venerabilis canitie ſenex & poſt nunciatam ſalutem in ſequentem ferme modum Gualtherum interfatur: „Eſt quod ex me „cognoſcere debes, Gualthere, & ad ſalutem „tuam pertinent, quæ adfero. Prono certe „loco ſtat anima tua ſubornatique jam ſunt „in caput tuum tres inclinatæ in ſcelus omne „levitatis ſicarii. Hi ventura Hebdomade

„ad ædes tuas aderunt, fores pulsabunt, literas „afferent. Adolescentes erunt, magni qui„dem simplicitatis simulatores, sed callidi ta„men & ad fraudem acuti, sine ulla reli„gione & fide homines, & quorum vel vul„tus nescio quod ingens malum præferet; „mediae staturæ, Italice vestiti, Ocreas in„duti. Cave igitur per Deum, tecto hos „tales homines vel ad momentum recipias, „aut si forte incuria tuorum recepti fuerint, „longum cum iis sermonem socies, aut vin„cula Epistolarum illis præsentibus laxes. Si „laxis secus, transactum crede, de te est, „durabit & ad posteros atrox memoria vulne„rum, quibus te miserum homines illi pe„cunia & splendidis multis promissis perditi, „confecturi sunt. Nondum, ut putem, de„meministi, Chare mi Gualthere, quid haud „ita pridem sancto illi Dei servo, Johanni „*Diazio*, tuo olim Ratisbonæ familiari, ac„ciderit, & quam perfidi & cum immanis„simis Tigribus rabidisque Leonibus compa„randi fratris ejus sanguine maduerint ma„nus. Hæc excutere mentem alii, quam Gualthero potuissent. Sed animum homo adversis suis clarus mox collegit, exque monitore suo quæsivit, Cujas esset, & unde tantorum secretorum arbiter? Sed tulit breve responsum; Hæc scire tua nihil interest; Tu modo fac rationem tam salubris consilii accipias; Qui monet, amat. Cave Gualthere & ave. Hisque dictis θαυμάσιος

si

ſenex, qui videbatur, à Gualthero noſtro receſſit, & ipſam ædem ſacram, quanquam ad aliud latus ingreſſus, conticuit, Gualthero mox ſuſpicante, num non forte Angelus è Cœlo eſſet. In qua ſententia eo magis fuit confirmatus, quod cives illi omnes, qui quidem ibi conſederant, quo bonus iſte Vir ſe penetravit, uno ore, à ſeſe ejusmodi hominem viſum nunquam eſſe, aſſeverarent, quodque quæſitus inſuper in tota urbe, nusquam quicquam ejus apparuerit. (b) Rem itaque totam cum amicis, præſertim cum *Bullingero* ſuo, qui in captandis conſiliis illi ſemper Neſtor, imo Senatus fuit, communicat Gualtherus qui illum una voce omnes cohortabantur, ne datum conſilium damnaret. Quibus ille obtemperans, & Conjugi & convictoribus, quos ſemper habebat ex diſſitis etiam terris plurimos, & omni denique familiæ ſerio imperat, ut ne quem omnium, qui literas ſe ferre diceret, intra Ædes admitterent. Illuxit quintus à conſilio dies, & prandii jam tempus cœperat, cum pulſatur Gualtheri oſtium à tribus hominibus perinde veſtitis. His Joſua Pictorius inter Gualtheri

(b) Hiſtoriam huic geminam contigiſſe Simoni Grynaeo Joachimus Camerarius narrat in vita P. Melanchthonis. Ex quo eadem repetit M. Adami in hujus pariter & Grynaei vita. Miror Baelium, qui de Grynaeo agit in ultima Lexici editione, hujus rei prorſus non meminiſſe. T. d. H.

theri convictores unus, & forte tum inter culinam & hypocaustum medius, fores, omnia alia cogitans recludit. Qui quidem veniam introeundi haud superstitiose eblandiuntur, sed se bonarum literarum studiosos esse, & ab amicis ad Gualtherum Epistolas ferre, causati, hypocaustum ipsum præpropere petunt. Gualtherus qui jam mensæ accubuerat, facinus quodammodo præsentiens protinus consurgit, magnoque animo advenas ipsos, nec minus truci vultu adoritur, manibus, ut videbatur, non temperaturus. Dextera enim arripuerat cultellum, quo cibos inter prandendum secare consuevit, sinistra subalari suo telo, quo vulgo tum homines etiam Ecclesiastici armati erant, admota. Id cum cernerent parricidæ, notabiliter expallescunt, labareque mox animos sinunt, cogitati sceleris jam ducti pœnitentia. Insistere ergo iis Gualtherus plurimas jam conscientiæ notas in ipsorum ore deprehendens, exque iis percontari: Unde venirent? Illi pudorem, quantum poterant, vicissim confirmare, serpentino astu linguas tingere, & respondere. Venire se Basilea literasque Gualthero afferre à *Petro Perna*, qui plurimum ipsum salvere jubeat, divertereque ad gladium. Ad quæ Gualtherus. Ite ergo illuc; Non jam mihi otium est vobiscum plura garriendi. Pransus literas legam, & vos in Hospitio visam. Atque

que ita metu exsangues, attonitisque similes & ne mutire quidem contra illum, quem trucidaturi venerant, ausos, à se dimittit. Qui quanta maxima celeritate poterant, non ad diversorium, in quo nullo unquam fuerant, sed ad portas contendunt, citatis equis in fugam effusi, &, qua quemque aut spes ducebat, aut pavor, dissipati, in sequentibus tamen eos volatu plus quam Pegaseo obstrepentis conscientiæ furiis, quæ hos feros Scythas tædis suis ardentibus agitare & perterrere, ut putem, non desierunt, donec alibi aut natura, aut etiam Carnifex, quorum omnium omnia tormenta, omnes equuleos, catastas, rotas & cruces deniq; omnes pati illidigni erant, proditorem spiritum ab iis reposceret. Et hæc jam, hæc magna illa Historia est, quæ Gualtherum nostrum hominum vulgo exemit, & in locum numerumque maximorum Dei Heroum, illustrissimorum Ecclesiæ Luminum, & verorum prodigii virorum reposuit, quamque hinc inter vera & mera prodigia referendam esse, nobis jure optimo asseruisse videtur.

§. 9. Inde ergo, à miraculosæ puta hujus liberationis tempore Gualtherus de Ecclesia, nostra, ut aliis omnibus modis pulchre mereri non desiit, sic aliquot etiam pro ejus bono flagrantissima quoque hyeme & inter mordentissima frigora, itinera suscepit, & le-

legationes obivit, interdum etiam cum afflictiſſima valetudine graviter conflictatus. Annis præſertim 68vo & nono pertinaciſſima febris, quæ totis 29. hebdomadibus immedicabilis duravit, illum usque adeo exercuit, ut macie & ſqualore confectus extrema exſpectaret, ad cœleſtia totus anhelans & humana omnia nauſeans, præprimis cum ob continuos fere & vix conſolabiles capitis dolores & tot triſtes dirasque noctes per morbum vigilatas, omnia vivendi pretia apud illum rationibus vincerentur. Sed natura prævaluit, ſupremusque omnium morborum medicus Gualthero ad altiora deſtinato ſpiritum etiam tum prorogavit. Conſpiciebantur ex illo tempore in Helvetia Reformata paſſim funeſtæ Cupreſſi & flebiles urnæ. Cumulabantur luridæ & triſtiſſimæ Optimorum & de Eccleſia Dei meritiſſimorum virorum mortes, adeo ut nulla fere civitas, pagus nullus fuerit, qui non ob Heroem aliquem ſibi ereptum pullatus inceſſerit, faccsque funereas accenderit. Horret cogitatione ejus rei animus. Sed vix tamen unquam triſtius funus tota Helvetia Reformata extulit, quam cum Tigurum noſtrum inferias jam faceret æterno illi viro & pulcherrimo quarumvis ingenii dotum monſtro, *Henrico Bullingero*, quo homine, absque invidia dictum ſit, nullum in Urbe & Eccleſia noſtra, vel conſummatæ eruditionis, vel raræ prudentiæ, vel fervidæ pietatis, vel omni-

omnium denique quæ Theologum, quæ paſtorem, quæ Eccleſiarum patrem & Antiſtitem decent, virtutum Exemplum habuimus, nec forſitan habituri ſumus, illuſtrius. Profecto hujus funeris acerbitas, ſi unquam ullius, utrumque orbis cardinem concuſſit, & percelluit. Atque in illa mortalitate interceptus eſt Vir vere immortalis. Huic ſuæ immortalitati Bullingerus, ut omnia alia ratione, ſic eo quoque proſpexit, quod inter ſupremæ voluntatis curas, & Cygneas ad Ampliſſ. Magiſtratum Cantiones Gualtherum ut omnium digniſſimum Cathedra ſua ſucceſſorem ſuo ſuffragio ornaverit. In quo quidem Bullingerus verecundas Gualtheri ſui ſpes & carentia ambitu vota, ſed absque ullis ſupremi Diacoſiorum Senatus ingratiis, ſuperavit. Hi enim illuſtris defuncti voluntatem religioſiſſime cuſtodituri, Gualtherique, quo nemo magis Bullingerum eruditione & virtutibus exprimere aptus fuit, meritis verum ſuum pretium poſituri, nihil cunctationis interponunt, ſed votorum unanimitate RODOLPHUM GUALTHERUM Eccleſiæ Tigurinæ Antiſtitem, ſeu, ut humilia illa & ſine vitioſa æmulatione pectora, quæ ad inſtar altiſſimorum fluminum minimo ſono labebantur, loqui magis amabant, paſtorem declarant.

§. 10. Factum id eſt anno ſeculi LXXVto cum Gualtherus jam ageret ætatis ſuæ annum

num supra quinquagesimum sextum. Quantum proinde virtutibus suis novus iste sacrorum Antistes & eruditione omnibus reverentiæ sui ceu vectigal quoddam imposuit, tantum illi ab annis & veneranda ista canitie decoris accessit. Sed quo major hinc honor Gualthero surrexit, eo onus etiam gravius accrevit. Diaconatum tamen hunc suum revera glorioſum reddidit, & omnia quæ à bono pastore & Ecclesiarum Antistite officia expectari possunt, cumulatissime implevit, omnium in se amorem & admirationem indies magis ac magis concitavit, perdius & pernox pro bono Ecclesiæ invigilavit, & ubi haud raro totos dies alia negotia ad se traxissent, ipsi suæ quieti nocturnæ manus injecit, lucubrationumque molestas fuligines bibit. Scriptis insuper egregiis, & conquisitis undique, aut potius nativis luminibus decoris, & suo authore dignis, non modo sui, sed totius Tiguri nostri memoriam per universum terrarum orbem, surgente à sole ad eum, quo Vespertina tepet regio, extendit & ad Exemplum; prædecessorum suorum commune quoddam omnium per totam Europam Christi Ecclesiarum Oraculum & Asylum, sinus & portus & sacra anchora fuit. Donec tandem postquam novem fere annis in hoc stadio sudasset, ut fessus & anhelus cursor, qui à pedibus suis destitutus carceribus laxari desiderat, sub onere terme succumberet,

beret, & ratio denique repueraſcentis ætatis, madidique infantia naſi receptui canere permitteret. Itaque ab Ampliſſimo Senatu anno 84to ſuæ ætatis 65to rude donatus, reliquum ſenilis ſuæ puerilitatis biennium in otio exegit, ſubſtituto unanimi Ducentorum conſenſu in ejus locum Viro maximæ virtutis, nominis atque gloriæ *Ludovico* LAVATERO, Tritavo meo. Quem tamen virum immortalitate dignum cum paulo poſt cœleſtis conſecuta ſit immortalitas, qui illi ſuperfuerat, Gualtherus alterum vivens adhuc λάδοχον in viro itidem docto, pio & maxime venerabili, *Rodolpho* STUMPHIO, Livii illius Helvetici, Johannis Stumphii digniſſimo filio, vidit. Sed non vidit diu. Eo ipſo enim anno, qui illius ſeculi 86tus fuit, quaſſa Gualtheri navis & feſſa carina noviſſimis fluctibus adluitur, penitus merſa ea die, qua veteri more Eccleſia Chriſti Domini natales celebravit. Appetente enim feſti hujus diei Veſpera, & vergente jam ad occaſum ſole, imo occaſo, ſol etiam iſte occidit, & inter circumfuſorum, qui manus morientis finxerunt, & poſtremos deficientis halitus exceperunt, amicorum deſideria ac ſuſpiria blandiſſime ac placidiſſime GUALTHERUS noſter expiravit, poſtquam è piis precibus & ſanctis meditationibus, quantum quidem piiſſimus ſenex ilarum capax fuit, mortualem ſibi lectulum

antea pulchre adornaſſet, ut deflagraturus phœnix dicitur ex Caſia, Cinnamomo, aliisque lignis odoratis fatalem ſibi nidum ſtruere.

§. 11. FUIT ergo, mei auditores, FUIT, Heu! FUIT GUALTHERUS. Fuit illud immortalitate dignum ingenium, & ad beatorum ſedes commigravit, & nihil jam nobis ex tanto viro, præter nomen & famam, quæ ipſa ſecula tranſibunt, niſi laudabile & inimitabile fere Exemplum ſupereſt. In quo ipſo tamen cum illo omnium optime actum eſt. Bene actum eſt cum illo, qui labente anno omnes ſuos annos, & cum iis ſimul omnes ſeculi miſerias depoſuit; Melius cum eo, qui moriente die per beatam mortem, ſi tamen fas eſt omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita; quam vita, eſt, immortalitati conſecratus & in illam vitam ingreſſus eſt, in qua ſoli Deo vivitur & vacatur; Optime omnium cum eo, qui ipſa nativitatis Chriſti in his terris feria ad originem ſuam renatus, non jam die craſtina nobiſcum vagientis ſeculi cunas in terris trahet, ſed in cœlo, ubi beati ævo ſempiterno fruuntur, illi in throno gloriæ conſidenti æternum Τετράγιον dicet, & ſeſe Angelorum Choris immiſcens, & fatalem illum ſuum monitorem, de quo ſupra, de facie cognoſcens, Deo in carne manifeſtato & in gloriam recepto, non equidem in paſcuis

Beth-

Bethlehemiticis, ſed ridentibus ſuperioris Hieroſolymæ atriis atque palatiis Gloria Deo in excelſis accinet. Et ita A. A. finivimus Gualtheri noſtri & βιολογίαν & θανατολογίαν. Si jam eadem prolixitate vobis recitanda eſſet ejus inſuper προσωπογραφία nec decem Clepſydræ, utut ſpatioſiſſimæ, ad hanc actionem absque competendinatione ſufficerent, & me adeo dies, & vox & latera, vos autem juxta patientiam, quæ jam forte vos defecit, etiam aures deſtituerent. Ipſa proinde dicendorum turba in pauca me omnia colligere jubet.

§. 12. Altiſſima primo in Gualthero eruditio & doctrinæ quædam immenſitas erat. Per omnia ſe vaſtum ejus ingenium diffudit. Eccleſiaſticæ & Exoticæ lectionis quaſi βιβλιοθήκη ἔμψυχος καὶ μουσεῖον περιπατῶν fuit. Quantum in Græcæ Linguæ ſcientia profecerit, teſtari poſſunt præter alia Julii Pollucis Onomaſticon ab eo anno ætatis ſuæ 22. jam Latinitate donatum; (c) Item Johannis

(c) Paenituit tamen eum deinde illius editionis. Ita enim in Epiſtola ad Bonav. Vulcanium, quae in Epiſt. Ill. Virorum, quae Lugd. B. n. 1617. in 8. prodierunt, Cent. II. ep. 49. p. 747. *Pollucis translationem ante annos fere quadraginta adoleſcens adhuc aggreſſus ſum, cujus me ſaepe puduit, cum quod multis in locis me hallucinatum eſſe poſtea viderim, tum quod cum me procul abſente liber excuderetur multi loci a typographi operis corrupti ſint.* Confer

nis Contacuzeni Apologiæ & Orationes, & Theodoreti de providentia sermones è græco itidem in latinum tanslati. Quantum vero in Latio sermone excelluerit, docere queunt, ut de ejus annotationibus in aliquot Ciceronis Orationes, sub nomine Eubuli *Dynaterii*, Basileæ ferme à puero adhuc vulgatas, & multis aliis nihil dicam, vel solæ ejus Homiliæ, omnes non solum ingenii ubertate divites, sed & ea sermonis elegantia conditæ, ut Musas plerumque ipsas aut loqui aut scribere credas. Adeo in iis Veneribus Gratiisque perspersus stylus est; adeo seculi sui eloquentia, quæ tamen maxima fuit, non contentus, & suo indulgens flumini veteres passim æmulatur, exprimit, reddit, Romanamque puritatem nullo unquam Barbaro vocabulo contaminat. Non jam dicam pluribus, quam cœlesti fere instinctu, & quasi afflatus numine sacro cujusvis generis carmina mira insuper facilitate effuderit, & scriptor etiam comicus sine pari fuerit. Lege illius *Nabalem*, quisquis harum rerum curiosus es, &

fer etiam epist. sequentem p. 752. Edita est ea versio *Basileae* a. 1541. Recusa est licet emendatior in editione Wolffg. *Seberi*, Francof. 1608. 4. Anno sequenti 1542. in 4. quoque prodiisse Gualtheri observationes in obscura Pollucis loca testatur Vir Cl. J. A. Fabricius in Bibl. Gr. L. IV. c. 33. §. 2. T. d. H.

& fateberis, Gualthero fere cum Plauto & Terentio æmulationem fuisse, & vix in hoc quoque sciendi genere antiquitatem habere, quod ei opponere possit.

§. 13. Suppar eruditioni Gualtheri nostri fuit laborum incredibilis & fidem excedens assiduitas. Eadem profecto ille firmitate animi laboribus suffecit, quâ nos otium patimur. Totos inter labores dies consumere, & ad literarum studia noctibus uti, in voluptatibus suis deputavit. Hinc inter tot, quæ illum circumsaliebant, negotia tot tamen nata sunt literata otia, quibus se à mortalitate & oblivionis injuria vindicavit, & nomen suum æternitatis postibus, velut clavis adamantinis, affixit. Profecto tanta est librorum, quos solus Gualtherus scripsit, varietas, & tam magnus numerus, ut Bibliothecæ instar esse queant. (d) Et quidem omnes tales sunt, quos vel rigidi legant Catones & quorum alios similes sua memoria à Gualthero nostro identidem quotidiano quasi convitio flagitarunt non primarii tantum orbis Reformati Theologi, sed Principes etiam & purpura splendidi Viri. Concio-

(d) In Catalogo Bibliothecae Oxonienſis Hydiano lego ejus operum XV. Vol. in folio, ut vocant, ibi exſtare. Ingentem eorum indicem quoque dedit J. J. Friſius in Biblioth. Geſneriana p. 733. qui tamen haud parvis acceſſionibus locupletari facile poſſet. T. d. H.

natus est Gualtherus porro, & cum Petrinus, & cum summi Templi pastor esset, hebdomadatim ter. Inque Calendariolis ejus portatilibus, quæ longa annorum serie Bibliotheca nostra civica munificentiæ Celeb. & Venerab. scholæ nostræ Rectoris debet, vidi, beatæ mem. Virum sua manu consignasse, se 17mo Jan. Anni 811 demum operto capite concionari cœpisse.

§. 14. Et quid dicam de ereberrimis literarum commerciis. Musæum Gualtheri Europæ quoddam compendium fuit. Si quis addubitet de nostra fide, productus alibi hujus commercii Catalogus docebit, me modestius, quam pro re, loqui. Tot amicos fere habuit, quot notos. Innotescere autem illi in votis erat omnibus, quotquot eruditionis nomine se commendare, aut illius consiliis se adjutum iri, sperare poterant. Et quidem inter eos fuerunt non Theologici duntaxat viri, sed plurimi insuper in publicis dignitatibus versantes Politici, sago & toga & natalium splendore clari, Regum & principum Legati, imo Reges etiam & principes ipsi. Quibus rebus omnibus hunc virum unum suffeciisse, vel ideo magis mirum videri debet, quod plurimis amicorum officiis districtus & omnibus expositus, omnibus communis & obvius, nunquam habuerit desertam & damnatam solitudine domum, in qua latere suoque suc-

co vivere illi facile fuerit, sed obsessa quotidie limina & impleta turba quadam hominum atria. Neque ad eum plebejæ tantum animæ ventitabant, sed Viri Illustrissimi & maximis dignitatibus præditi, indigenæ & exteri, quos insitum mortalibus studium magna & inusitata noscendi sedibus undique suis, ex Anglia, Gallia, Germania, Dania, Polonia &c. ad Gualtherum nostrum exciverat. Quibus omnibus ille, ne amicitiæ & Hospitalitatis officia videretur deserere, patientissime vacabat, imo illos plerosque mensa etiam sua excipiebat, collocatos in eos sumtus in aliis cirmcumcidens, & quod cessabat forte ex reditu, frugalitate supplens.

§. 15. Qua occasione monere incidit, me ex Calendariolis supra citatis observasse, mensarum hæc sacra, quibus tamen ut apparatus & impendii, sic temporis modus constabat, apud illorum temporum Megalandros, qui nullam in frontis nunquam exporrectæ sulcis sanctitatem ponebant, sed innoxiæ omnes popularitatis & plurimi salis, minimi fellis homines erant, fuisse consuetissima. O quoties, A. A. non mentiar forte, si dixero sexcenties, ibi lego: Cœnarunt mecum *Bullingerus* & tres generi; item Fratres & Collegæ, *Collinus*, *Cellarius*, *Ottho*, *Hallerus*, *Wolphius*, *Wickius*, *Ammianus*, *Frisius*, *Pellicanus*, *Gesnerus*, *Martyr*, & qui non alii inferioris etiam caveæ, seu, ut nos lo-

loqui ſolemus, junioris Collegii ſocii, quales tum quidem adhuc erant Stumphii, Leemanni, Huldrici, Stuckii. Addo etiam viros Conſules & Conſulares, Conſul *Lavaterus*, Conſul *Mabius*, Conſul *Bræmius*, aliquando duo Conſules, Quæſtor Edlibachius, Quæſtor Æſcherus, Quæſtor Werdmyllerus, Archigrammateus, Hypogrammateus. Et in contrarium. Ea, ea A. A. fuerat illorum temporum Conditio, ea mentium Conjunctio. Nunquam autem illa in Diariolis iſtis lego, nunquam lecturus ſum, quin hiſce fere, ut-ut nec multi cibi, nec multi potus homo ſim, cogitationibus animum meum exedam: Utinam & tu vivendo in amica illa tempora incidiſſes, & tantorum etiam ſubinde virorum conviva, imo apparator & apparitor vel gelidæ calidæve miniſter fuiſſes! Videor mihi videre, A A. videor audire, quibus & quam ſanctis, quam piis, quam amicis multum ſermonibus illi epulas ſuas condiverint, & veſperas extenderint, & quoties inter ſocraticas iſtas cænulas & vere Chriſtianas agapas in hæc fidem & dederint & acceperint: Se ſine ulla livoris aut invidiæ ſuſpicione amorem porro in omnes æqualiter diſpenſaturos, ſe invicem ut fratres validiſſime dilecturos, infirmitates & leviores diſſenſus mutuo toleraturos, in amore vinci turpiſſimum putaturos, ultima pro fide experturos, Regni Domini & Ser-

va-

vatoris noſtri, Jeſu Chriſti, cujus adeo plena & prægnantia illi geſtabant pectora, pomœria unitis viribus in Curia, in Eccleſia, in ſchola, ſuis quemque dilataturos eſſe. Inde fluxit inæſtimabilis illa & indicibilis Heroum illorum, quorum proh dolor! exempla nobis perierunt, Concordia, quæ, ut alicubi vere ὁ πάνυ Hottingerus, tanta inter illos fuit, ut major in militante Eccleſia ſperari vix aut optari potuerit.

§. 17. Sed quo provehor? Videtis ipſi, me copia rerum & immenſitate laudum Gualtheri mei obrui, & quo plura dico, eo plura dicenda reſtare. Neque mirum adeo eſt, cum ipſe hic Gualtherus terminos laudis & gloriæ ſuæ noluerit metiri ſpatio, me neq; dicendi finem fere invenire poſſe. Et profecto non invenirem, ſi prolixe æque cumulateque dilaudare velim cætera ejus κατορθώματα, non fucatam pietatem, profuſam liberalitatem, incomparabilem affabilitatem, Chriſtiano & Dei ſervo dignam humilitatem, animum vere cubicum & ſibi undique ſimilem, conſummatam ingenii limam, inexpugnabilem in dicendo illecebram, igneum zelum, raram prudentiam, merita in patriam, in ſcholam, in Eccleſiam noſtram infinita, & quæ non alia? quis enim omnia, aut animo aſſequi queat, aut Oratione complecti? Nulla, paucis, nulla dicendi vis meritis Gualtheri par eſt, niſi alter

nobis divino munere Gualtherus obtingat. Sed inveniendus tamen aliquando finis. Malo ergo me ipsum vincere, & reliqua, quæ in Gualthero eminebant, & elucebant, plurima, sacro silentio involvere, quam parcitate laudum mearum deterere.

VIII.

Jacobi TAMNAU, (a) Regiomonte-Borussi, de ΑΕΒΗΔΩΝ & ΑΕΒΙΔΩΝ *Hesychii Observatio.*

VOces Hesychii Αεβήδων & Αεβίδων sic corrupte in omnibus Glossographi editionibus hactenus lectas, cum paullo curatius pensitarem, dubitare nullus potui, quin ex sacris seri-

(a) Jam pridem constitutum fuit docto huic Viro curare novam editionem Lexici Hesychiani. Quod institutum ut feliciter persequatur, optabunt mecum omnes, qui, quantus eruditionis rarioris thesaurus in eo libro contineatur, non ignorat. Ceterum conferenda sunt, quae in hunc locum a Cl. Is

ſcriptoribus eſſent deſumptæ, & ſpeciatim ex iis, qui libros de nominibus Hebraicis conſcripſere, quales adhuc ſub Originis, Cyrilli, Alex. & Euſebii nominibus ſatis mutilati exſtant. Ubi vero hæc nomina utplurimum ea forma occurrebant, qua apud LXX. Intp. nobis venire ſolent, eorum ſtatim auxilium implorabam, verum impetrare illud non poteram, fruſtra enim ibidem quæſiveris Λεβηδων, fruſtra Λεβιδων. At, dum interea de vera nominum illuſtrandorum lectione ſollicitus ſum, ultro mihi in mentem venit, ſimile quid Heſychium afferre ad vocabulum Δεηβων (quod extra literarum ſeriem ſequitur vocem Δειλαιοι) ita autem ſcribit. Δεηβων, ῥυσις ἑρμηνεύεται, ὅ ϛι δὲ τόπος, ἔνθα ἵδρυται ἱερὸν μωαβητῶν, rectius forte legas Μωαβιτῶν, qui error frequentiſſime ex ſoni affinitate naſcitur. Hunc locum qui videt in emendatione vocis Λεβιδων minus hærebit, pauca tamen in anteceſſum de Voc. Δεηβων dicenda habeo. Sopingius in editione Schreveliana hæc adnotat: *Scribendum* Δεηβων *mentio ejus Num.* 32 *v.* 13. (lege 32. v. 3. & 34. ſecundum edit. Cl. Bos) *Sed quid* ῥυσις *?* Reſpondebo Sopingio, ſaltem monerem prius, quamvis literarum ordo lectionem Δεηβων exigat, frequentius tamen

Is. Eilh. *Harkenrothio* ſupra Cl. VIII. Faſc. II. p. 339. ſqq. jam nutata leguntur, Tamnavio, cum haec ſcriberet, non viſa. T. d. H.

tamen apud LXX. Intp. legi Δαιβὼν vel Δηβὼν nonnunquam Δέβων, verum neſcio ubi occurrat Δειβὼν, quod vult Sopingius, pugnare tamen ideo de eliminanda hac lectione nollem, cum & hanc facile in libris, quos exſcripſit, deprehendere Heſychius potuit, mihi ſaltem dum corrigo Lexicographos, ſemper oculis obverſatur monitio Richardi Bentleii ex annotationibus in fragmenta Callimachi, & Gronovii ex præfatione ad Harpocrationem: Sobrie admodum Lexicographorum loca ex ſerie literarum emendanda eſſe, qua de cauſa & hic acriter perſtringit Blancardum. Propoſitam vero a Sopingio quæſtionem illuſtro ex Hieronymo, qui ad Joſ. cap. 15. adnotat: *ob aquas tacite illic fluentes oppidum illud indifferentes Dibon & Dimon dici usque ad ipſius tempora*, hunc locum debeo Cl. Relando, qui eum affert in Palæſtina illuſtrata pag. 735. adde quæ profert verba ad Jeſ. 15. v. 2 *Dibon, quæ interpretatur fluxus eorum*; hinc forte Coccejus: *An à* דב *pro* זב. Hoc dubio procul ſibi vult Heſychius cum gloſſa ſua, ῥυσὶς ἑρμηνεύεται. Verba autem quæ ſequuntur: ἔστι δὲ τόπος, ἔνθα ἵδρυται ἱερὸν Μωαβιτῶν una cum gloſſa ad vocem Αεβίδων ſunt explicanda, unum enim idemque urbis nomen ſub duabus his vocibus Δειβὼν & Αεβίδων latere, ex gloſſæ convenientia cuivis luculenter cernere datur. Sed unde mirabilis illa mutatio τῆς Δειβὼν ſeu ut Sopin-

Sopingio placet, Δαιβὼν, in Δεβίδων? Ne adeo mirum hoc cuidam videatur, notari modo velim variantes τῶν ὁ lectiones, quidam enim hujus verſionis codices legunt Δηβὼν & Δαιβὼν, quidam Δέβων, nonnulli Δαιβηδὼν, in textu Hebræo דִיבֹן legitur, hinc etiam in Euſebii Onomaſtico retentum Διβὼν, facile igitur deſcriptor π Δ ex Δαιβηδὼν deleta inferiori literæ linea pro Δ legere potuit, & hac ratione in Δ vocem reiicere, quem errorem alii literarum tranſpoſitione auxerunt, attamen, cum hoc nomen urbis ex Eſai. cap. 15. v. 2. deſumptum videatur, magis mihi fit veroſimile illud Δε in Δεβίδων ex particula ΚΑΙ vocem Δηβὼν præcedente depromptum cum nomine urbis coaluiſſe, ut ex ΚΑΙΒΗΔΩΝ factum ſit ΛΙΒΗΔΩΝ. (b) Sed ejusmodi cumulare conjecturas,

(b) In Syncelli Chronogr. edit. regiae pag. 320. ubi agit de rebus Tiberii, legitur Ὁ αὐτῷ ΛΙΒΑΔΑ . . . quod ſuppletur & corrigitur in margine hoc pacto, Ιουλιαδα ἀνηγειρεν. Sed ſi quid mutandum, anne ſcribendum Λιβιαδα? Illam urbem ab Herode in honorem Liviae conjugis Auguſti, matris Tiberii aedificavit *Herodes* & dicta eſt Livias, &, cum, quod alibi pluribus docui V mutetur à Græcis in B, Λιβιας, Λιβυας. Haec urbs erat Arabiae, & Moabitidos. Sita enim fuit trans Jordanem, vel potius trans mare mortuum ad auſtrum Judaeae, habens latitudinem quindecim ſcrupulis majorem, quam Hieroſolyma, teſte Ptolemaeo. Adeoque in

ras, quomodo scriptor falli potuerit, quid aliud est, quam operam perdere? iis certe ridiculum foret, qui noverunt, quot quantaque, infinitis jam sublatis, errorum portenta adhuc in auctore illo supersint. His ideo omissis, ostendere mihi sufficiat, quomodo procedat glossa: Τόπος, ἐν ᾧ ἐθυσίαζον οἱ κατὰ τὴν Λιβαδησίαν Ἀραβίαν Μωαβῖτην; Omnino hic ex emendatione Salmasii restituendum Μωαβῖται, Locum vero τῶν ὁ, quem respicit glossa, habes apud Esai. cap. 15. v. 2. Λυπεῖσθε ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀπολεῖται γὰρ ἡ Δηβὼν, ἐπὶ βωμοὺς ὑμῶν: Ut inde simul discamus ad Moabitas pertinere hanc urbem, probe observandum, quod capitis titulus præfert: Τὸ ῥῆμα τὸ κατὰ τῆς Μωαβίτιδος. Porro Num 21. v. 30. legimus, quas terras Moabitis Amorrhæi abstulerint, ab Hesebone nimirum usque Dibonem. Ut situm ejus quoque pernoscamus, audire juvabit, quæ adnotat Eusebius in Onomastico: Δαβὼν, ἡ Διβὼν, ἐπὶ τῆς ἐρήμου πάθμος τῶν υἱῶν Ἰσραήλ: ἔστι δὲ

in media sita Moabitide. Et haec est una illarum urbium, quam *Hyrcani* Patrem Alexandrum *Arabibus* eripuisse testatur Josephus A. J. L. XIV. c. 2. Hanc olim suspicabar ab Hesychio innui. Praecipue cum ΑΙΒΗΔΩΝ vel ΑΕΒΙΔΩΝ parum abeat à ΑΙΒΙCΙΩΝ, quo nomine eadem vocitatur in concilio Hierosolymitano T. V. concil. p. 284. cui ejus episcopus subscripsit. Sed posteaquam has observationes legi, mutavi sententiam. T. d. H.

δὲ καὶ ἄλλη εἰς ἔτι νῦν κώμη παμμίεθης παρὰ τὸν Ἀρνωνᾶν, ἣν τὸ παλαιὸν ἔσαν τῶν υἱῶν Μωὰβ, καὶ μετὰ ταῦτα Σηὼν, τῶ Ἀμορραίω, οἱ υἱοὶ Ισραὴλ ἀπέλαβον, καὶ γέγονε φυλῆς Γάδ. Μέμνηται δὲ αὐτῆς Ησαΐας ἐν ὁράσει τῆ κατὰ τῆς Μωαβίτιδος, καὶ Ἱερεμίας. • Fuiſſe præterea Dibonem locum illum, ubi Moabitæ ſacra faciebant, clare ſatis verſio τῶν δ exprimit: ὁ δ' βωμὸς ὑμῶν, licet τὸ ὑμῶν in textu Hebræo appareat; qua ratione vero Moabitis Arabiæ adſcribatur, nemini obſcurum eſſe poterit, qui novit omnem terram ad ortum Jordanis Arabiam dictam. Speciatim de Moabitide Steph. Byz. Μώαβ μοῖρα τῆς Ἀραβίας Οὐρανίος ἐν Ἀραβικῶν δευτέρω. Sed quid tandem: κατὰ τὴν Λιβαδησίαν. Hic me maxime male habuit ſcrupulus. Fateor, ſi auctorem idoneum inveniſſem, qui Ἀραβίας Λιβανησίας ſic dictæ a Libano monte, injeciſſet mentionem, (c) in-

(c) Sed, etſi non ſtatim occurrit memoriae locus, in quo id fiat, non tamen inde concludas, nusquam inveniri. Scimus diverſa eſſe Arabiae epitheta, a varietate locorum, quae complectebatur, deſumta. Imo à vel unica urbe illi acceſſit agnomen; ſic Epiphanius in ἀναχεφαλ. p. 145. memorat Ἀραβιαν της Φιλαδελφιας *Arabiam Philadelphenſem.* Quidni pariter ea Arabiae pars, quæ erat ſeptentrionalior, & Libano propior, quae alias audiebat Peraea, cujus pars erat Moabitis, potuit appellari Λιβανησιας. Eſt & Arabiæ locus, לבנה *Libna*; οἱ δ vertunt Λεβωνα, cujus mentio fit Num.

indubitanter hanc lectionem retinuissem, maxime quod Codex Bibl. Brem. illam quoque præfert; Ast, quis Arabiam ita dividat, & si quis dividit, ubi terminos hujus regionis constituat, an etiam Dibonem his terminis includat, hactenus mihi non liquet: Verum hoc nemini obscurum est, Arabiæ quandam partem, ut a bene multis, ita egregiis auctoribus dictam Ναβατείαν, Ναβαταίαν & Ναβαταίαν. Hinc Bonfrerius in Onomastico Eusebii, *Nabajoth, urbs, vel regio potius in regione Ismaelitide*, cujus meminit Esai. cap. 60. v. 7. Sic dicta ab Ismaelis primogenito, qui itidem Nabajoth dicebatur, Genes. 25. v. 13. & 1. Paral. 1. v. 29. Porro testatur & Hieronymus Quæst. Hebr. in Genesin, *ab hoc totam regionem ab Eupbrate usque ad mare rubrum dictam esse Nabatenam.* Quamquam alii a Nabatha urbe Arabiæ (quæ alio nomine Petra dicta est) Nabathæam & vel Nabathenam regionem dictã malint. Vide eundem ad voc. *Nabuthæi*. Ipsa auctorum loca, ex quibus hæc desumpta, afferre hic non attinet, ubivis enim obvia sunt. Confer Hadriani RELANDI Palæst. illust. p. 90. seq. & pag.

Num. XXXIII: 21. quæ num huc pertinent, dispiciant alii. Ne nunc memorem *Libnam*, quæ & *Lebna, Lobna* & *Lobena* dicitur, sitam in tribu Judae in tractu Eleutheropolitano, & ad *sacerdotes* pertinentem, ut patet ex Jos. XXI: 13. 1. Par. VI: 57. de qua passim Geographiae S. scriptores. T. d. H.

pag. 893. ubi Medaba urbs Nabatæorum describitur. Situm vero urbis in eodem Arabiæ tractu collocatum, si noscere cupis, vide eundem p. 720. Quin ipse Hesychius populi hujus meminit voc. Δουσαρήν; quod observatum A. Relando p. 90. ubi duplex Typothetæ error obiter corrigendus: *& apud Hesychium* Ναβαταῖοι *in voce* Δουσαρήν. Lege Μαβαταῖοι (sic enim corrupte in omnibus editionibus legitur) in voce Δουσαρήν. Eo confidentius igitur sic emendo glossam: τόπος ἐν ᾧ ἐθυσίαζον οἱ κατὰ τὴν Ναβαταίων Ἀραβίαν Μωαβῖται. Vel ut pressius antiquæ & veræ lectionis corrupta hic vestigia legam: Κατὰ τὴν Ναβατινὴν Ἀραβίαν. Ego certe, expendens, quam prope hæc vocabula quoad scripturæ antiquæ similitudinem sonique affinitatem sibi conveniant & exinde facile permutari possint, nihil plane contorti video pro Λιβαδασίαν reponere Ναβατινὴν. Cæterum an glossa planior reddi possit, alii videant. Quod vero ad prius vocabulum Λεβήδων attinet, cum voce Λεβίδων restituta minime confundendum autumo. Glossographus noster subinde voces cum Glossis comparare consuevit: scio. Nonnunquam glossæ unum idemque nomen respicientes discrepant: scio. Non raro loca Lexicographi insolenti mutatione emendare oportet: & hoc scio. Ego tamen a me impetrare hactenus nequeo, quo temere affirmem simili ratione & hoc voca-

bulum reſtituendum eſſe. Brevibus igitur ſententiam meam de his proferam. Vox explicanda rurſus, judicio meo, mendo laborat, integra autem gloſſa eſt. Hinc pro Λεβήδων lego Λεβανὼν, ſic forma Hebraica dictum pro Græcorum Λίβανος, quam retinere paſſim Origenes & Euſebius ſolent. Intelligo autem templum Hieroſolymitanum; quod teſtantibus Patribus aliquando in SS. nomine לְבוֹנָה venit: qua de cauſa id fiat, inquirere hic loci inſtituti mei non eſt. Euſebius demonſt. Evang. libr. 8. p. m. 410. Λίβανον γὰρ ἐν τούτοις συνήθως αὐτὸ τὸ ἱερὸν ὀνομάζει ἐπεὶ καὶ δι' ἑτέρων προφητειῶν ἀποδέδεικται Λίβανος αὐτὸς ὁ νεὼς ἐπικεκλημένος. Τοῦτο καὶ αὐτοὶ παῖδες Ἰουδαίων εἰσέτι νῦν ὁμολογοῦσιν &c. Si vero forte dubium oriatur, quomodo vox τόπος de ſolo templo dici poſſit, intellige Hieroſolymas una cum templo. Idem pag. ſeq. 411. Λίβανον δὲ τὴν Ἱερουσαλὴμ διαρρήδην, ὅπερ καὶ Ἰεζεκιὴλ σημαίνει λέγων ὁ Ἅγιος ὁ μέγας &c. confer Hieronymum ad Eſai. cap. 33. p. 260. & Zach. cap. 11. v. 1. p. 585. *Perſpicue Libanus templum intelligitur Judæorum, quod inſtauratum à Zorobabel rurſum à Veſpaſiano & Tito canitur ſubvertendum. Et quia Libanum templum appellaverat* μεταφορικῶς, *& in reliquis ſervat translationem.* Hanc igitur ubi lectionem & vocis ſenſum admittis, nihil corrupti ſervat gloſſa: τόπος τῶν Λευιτῶν, ἔνθα ἐθυσίαζον. Addo ſaltem Svidæ locum, ex quo diſcas,

ſcas, quam late nonnunquam pateat Levitarum nomen. Λευί. ὄνομα κύριον, ἢ ἡ φυλὴ ἱερατείας τάξιν ἐπλήρωσε καὶ Λευίτης, ὁ ἱερεύς. Hæc dum ita meditabar, optaſſem uti libris meis, ex quibus plura forte & meliora haurire potuiſſem, verum, cum ad manus mihi, extra patriam verſanti non ſint, eo minus conjecturam hanc obtrudere cuipiam ſuſtinebo.

IX.

Brevis de G. SOPINGIO relatio.

JAm ſaepius Sopingii injecta fuit mentio, tum in praecedenti, tum in aliis, quibus Heſychio accenſa lux eſt, hujus Bibliothecae obſervationibus. Ecquis ille fuerit, ignoratur fere, immo C. Schrevelius, qui notas Sopingianas ſane non contemnendas ſuae Heſychii editioni, quae venuſta magis eſt, quam accurata, inſeruit, ne verbulo quidem monuit, vel unde eas hauſerit, vel quis ille Sopingius fuerit, & vel ipſum ejus praenomen ſiluit. Non injucundum itaque accidet τοις φιλοβιβλοις, ut quae de eo mihi comperta ſunt, cum iis communi-

centur. S. R. vir, meique perquam ſtudioſus Eil. Folc. HARCKENROTHIUS, non infrequens in hoc opere nomen, de illo ita ad me. „Sopingius ille, qui Heſychium illuſtravit *Godofridus SOPINGIUS* eſt, dum vive„ret, Eccleſiaſtes Bolswardiae in Friſiis, „1612. cum Gellio Acronio, aliisque miſſus „ad ordines praepotentes Hollandiae in ne„gotio Remonſtrantium, teſte praefatione „actorum Synodi Dordracenae, cujus etiam „reſponſio ad bonam fidem *Sibrandi Lubberti* „citatur in nupera hiſtoria Oſtfriſica anti„Ubbo-Emmiana Tom. I. Lib. VII. n. 57. Pa„rens ejus fuit *Nicolaus Sopingius*, qui extor„ris ad noſtram regionem, commune exſu„lum hoſpitium tempore perſequutionis in „Belgio Hiſpanicae profectus, apud Greetzy„lanos in miniſterio Eccleſiaſtico fuit, hinc „vulgo Greetzylanus dictus, qui etiam Leo„wardiae, reſurgente ibi vero Sole juſtitiae „Chriſto, primordia Eccleſiae cum aliis je„cit 1578. quo anno etiam vocationi ab Ec„cleſia Ultrajectina ipſi die 27. Octobris ob„latae paruit, de quo plura dicturus ſum in „hiſtoria Eccleſiae noſtrae Emdanae. Ultra„jecti cum collegis ſuis *Hermanno Modeto*, „alias *Strikker* vocato, *Wernero Helmichio*, *Jo„hanne Utenbogardo*, quorum epiſtolas inedi„tas aliquando dabimus, amice vixit, & Ec„cleſiae iſti cum laude praefuit usque ad an„num 1589. quando cum Collegis diſcedere „juſſus

„jussus ob negotium Leicestrienſe, ut passim „annales Belgici testantur. Sequenti anno „1590. apud Bredanos in ministerio consti„tutus, obiit 1592, ut testatur Henricus van „Rhenen, in indice pastorum provinciæ „Ultrajectinæ 1705. edito p. 6. relicta autem „ejus vidua Ursula superstes fuit 1607. die „14. May, ut liquet ex Warneri Helmichii „epistola ad Abrahamum Muysenholium, pa„storem Bredanum eodem die exarata, in „qua sui quondam collegæ *Sopingii* viduam „salvere jussit teste Thom. Crenio. Obs. „Phil. Part. XVII. p. 113. Haec Cl. Harckenrothius. Libri ab eo adducti titulus hic est; *Godofredi SOPINGII Apologetica responsio ad libellum Anonymi, qui vocatur* bona fides Sibr. Lubberti *& ad H. GROTII pietatem*; Franeq. 1616. 4. Occasio scripti haec fuit. Ediderat Grotius a. 1613. librum, quem inscripserat. *Ordinum Hollandiae & Westfrisiae pietas*; In quo inter alia probare conatus erat doctrinæ Remonstrantium apprime convenire cum doctrina ecclesiæ Reformatorum, maxime Melanchthonis. Respondit illi scripto Sibrandus LUBBERTUS, Professor Franequeranus a. 1614. Anonymus quidem ex Remonstantium cœtu Lubbertum aggreditur libello, cui titulum imposuerat; *Bona fides Lubberti.* Hunc aggressus est Sopingius libelloisthoc, cujus titulum dedimus, in quo & sibi probandum sumsit potissimum Me-

lanchthonis ſententiam aliam eſſe a ſententia Remonſtrantium, illique melius convenire cum Reformatorum opinionibus. Id quod notari poteſt contra eos, qui omni opum vi concordiam cum noſtro cœtu cum maxime impedire ſatagunt, quod à Synodi Dordracenae placitis non omnes ſecedamus, cum quibus ſibi nihil eſſe volunt negotii. Sed non cogitant Viri eruditi cum eo nomine nos a ſocietate omni repellunt, ſe ſemetipſos ſimul è ſodalitio deturbare praeſtantiſſimorum Virorum, quibus ſacrorum emendationem debemus. Caeterum liber ille Sopingii ab auctore non ipſo, ante ejus ἔκδοσιν ſc., pr. Cal. Dec. a. 1615. aet. 42. exſtincto, publici juris factus eſt, ſed a Godeſchalco Aeltio, tum ejus in eccleſia Bolswardenſi Friſiorum collega, deinde Arenacenſis eccleſiae miniſtro. Wittenius in diario allegat quoque hujus Sopingii *Chriſtianam & modeſtam declarationem* &c. ſed eam non vidi. Jacobo *Triglandio* in hiſt. Eccleſ. Belgica vocatur *vir doctrina & pietate valde inſignis.* Exſtat ejus epiſtola de herba *Britannica* in Epiſt. ad J. Iſacium Pontanum, quae inter eas, quas Vir Cl. Antonius, MATTHAEUS edidit Lugd. B. 1695. eſt CLXIXma. Ex illa colligo eum Heſychio operam navaſſe. Ita enim ſcribit. In *Heſychio noſtro quaedam celtica vocabula offendi, quae data occaſione colligam.* Plura quoque eundem paraſſe, quae morte prae-

praeventus absolvere non potuit, patet ex literis Sibrandi Saccama ad Pontanum, in qua scriptorum & fragmentorum ejus meminit. Invenitur ea in eadem συλλογῇ, & est numero CLXXIIIma. T. d. H.

X.

THEODORI HASAEI,

De vocis ASTARTES

vera origine & significatione Diatribe, in qua neglecta radix סרר vel שתר restituitur, variarumq; aliarum vocum notiones & derivationes exhibentur.

ARGUMENTUM.

Occasio scriptionis §. 1. Conjecturae de ἐτυμῳ vocis *Astartes*. *Verelii*, *Mushardi* §. 2. *Huetii* §. 3. *Hilleri*, *Hydii*, *Fungeri*, *Juriaei* §. 4. Nostra sententia. Astarte notat *stellam*, & descendit à voce סרר vel שתר. Tria in etymologiis sunt observanda; *forma*, *materia*, *analogia*. §. 5. Nostra sententia probatur, quia (A) hic retinetur vocis *formale*. שתר apud Arabes est *fulgere*, *splendere*. Germanicum & Belgarum Schitten §. 6. Hinc est מאורים *luminaria*

maria. Quam vocem ita vertendam esse Job. X: 22. non *ordines* probatur ex natura oppositorum. §. 7. 8. An סהר *sidus* notet Job. XXXI: 27. §. 9. Ab illa radice multae proveniunt voces, quae ad *astra* spectant: v.gr. Chaldaeorum אסתהר, sol & סהרא *luna*; §. 10. Persarum *Stara* & *Ester* §. 11. Unde dicta est *Esthera* §. 12. sc. ob pulchritudinem & virtutem. Propter quas homines vocabant *stellas*. Ita & vocabant Amasias. §. 13. An & eadem vox lateat in voce *Zoroastres*. Variae de hac voce sententiae. §. 14. Latet in omnibus fere vocibus, quibus Europae *stellam* significant, v. gr. ἀστηρ, ἄστρον, στερεα. *Astrum*; Stern/gestirn/starre, *starne*, *stierne*, *stierna*, *steorra*, *sidus*, *sidera*. §. 15. Στηρ, στηριγ notat omnes stellas. Τετρεα, *stellae*, Ἀστραβη, Ἀστερον §. 16. *Stella*: *Estoile*, *Eastor*, *æstre*, i. e. focus §. 17. Simili modo *Astarte* formata est; א & ע saepe praeponuntur vocibus §. 18. Quia (B) *materiale* idem confirmat. Astarte enim fuit stella, quod ostenditur *generatim*, quia fundamentum omnis Idololatriae erat cultus stellarum §. 19. Speciatim. Unde toties Astrum vocatur; Et id innuunt ejus epitheta Astroarches, Ἀστραρχη, Regina coeli, Belisama, Coelestis. Οὐρανια §. 20. Unde numero plurali Astaroth. Quare caput bubalum illi adscribitur §. 21. Accedit (C) *Analogia*. Simili enim modo alii, quos *astra* credebant, dicti *Astraea*; *Jupiter Asterius*, *Astraeus*, *Astrataea*; §. 22. Inprimis autem *Saturnus*, quae vox ejusdem & significationis & originis est cum Astarte. Ridiculae ejus etymologiae. §. 23. Est a סהר, qua notat *lucere*, *splendere*, Convenit rursus *forma*, nam est idem, quod Stern; *Materia*. Est enim *stella*, coeli *lumen*, coeli filius, §. 24. *Analogia*; Simili enim modo dicitur à *luce* ΦΑΙΝΩΝ, ΛΑΜΠΩΝ, ΗΛ. Stellae dictae τῳ φαι-

νομε-

νομένα. §. 25. Idem prorsus significat ΚΡΟΝΟΣ, ita dictus non à χρόνῳ, sed à קרן, quod *lucere, micare* notat. In Saturnalibus luminum & cereorum erat usus. §. 26. Astartem ab astris dictam notarunt Suidas, Etymologus, Phavorinus §. 27.

§. 1.

QUi hunc proxime anteit fasciculi capite *sexto* pag. 475. ubi data mihi fuerat occasio, de OSTERA, patrum nostrorum idolo sententiam meam exponendi, pollicitus fui me quam primum in natales illius vocis, quae non alia est ab Astarte, antiquissimo juxta & famosissimo non Phœnices solum, sed & totius paene terrarum orbis Deastro, quae in sacris עשתרת vel עשתרות dicitur, inquisiturum. Ne malum nomen sim, illud promissum nunc exuam, posteaquam uberrimum jam conjecturarum de nominis illius ἐτυμῳ adesse proventum monuero. Neque tamen eas heic coacervabo, quod id haud indiligenter factum est a Synoride perinsignium Philologorum Jo. FRISCHMUTHO, & Augusto PFEIFFERO, ab *illo* in dissertatione de מלכת השמים ad locum Jer. XLIV: 17. 18. 19. (a) ab *hoc* in *dubiis vexatis* S. S. Cent. II. l. 55. quae scripta in omnium versantur manibus. Quibus addi

(a) Edita illa est Jenae, 1663. 4. & recusa in Thes. Diss. Amstel, T. II. p. 866. iqq.

possunt ea, quae in hanc rem, supra pag. 462. sqq. disputata leguntur. Ut tamen eo liquidius ex collatione mutua variarum sententiarum institui queat de re isthac Judicium, addam alias quasdam hariolationes, quae ad illorum Virorum notitiam non pervenerunt.

§. 2. *Olaus VERELIUS* in N. ad Gothrici & Rolfonis Westrogothorum (b) RR. hist. p. 53. *Astharoth* explicat, quasi *amoris dominium*, quia *amor* Gothis sit *Ast*, cujus casus obliquus *astar* conjunctum sit cum vocula *ad*, quod notet *possessionem* sive *dominium*. Acute, lepide, belle, ut nihil supra! Vicina huic quidem est, sed dubito an melior *Lunebergii MUSHARDI*, cujus de *Ostera Saxonum* dissertationem supra p. 460. laudavimus. Originem putat petendam in Ebraeorum עשׁר quo arcturum illi significant, & unde Latinorum *astrum* sit ortum, quodque conveniat cum Germanorum *As*, *Hes*, *Hes*, *Es*, quem quidem alias interpretari Martem, se vero unicum & summum Deum esse arbitrari pronunciat. Deinde observat *Ast* esse amorem, & in casu secundo *Astar* & *Oster*. Illi additum esse Gothicum *At*, quod est, pater, ut Graecorum ἀττα, &c. & inde factum *Astarat*, vel *Astaroth*. Sed non est, quod verear, ne multos ista sententia nanciscatur assensores.

§. 3.

(b) Hic liber editus est Upsaliae, 1664, 8.

§. 3. Neque sane condigna est HUETIO sententia, quam P. D. HUETIUS protulit in Dem. Eu. prop. IV. cap. 10. §. 3. ubi Sephoram, sive Zipporam Mosis uxorem non aliam, esse ab Astarte asserit. Recte A. Pfeifferus allegato loco eam *nullis idoneis rationibus subnixam* esse pronuntiat. Iis enim eam argumentis adstruit, quibus si res confici possit, quavis pœna me dignum deputavero, si non ex Astarte simili ratione & Evam, & Saram, & Rebeccam, &, quidquid illustrium in sacro codice feminarum memoratur, efformaverim. Sane illustrem virum sui oportet esse oblitum, quando ex Sephora effingit Astartem, cujus jam longe ante tempora Mosis mentio exstat, &, quam jam Abrahami temporibus innotuisse ex Geneseos libro apparet. Sed audiamus quomodo Huetius ex origine nominis, suae opinioni pondus addat. *Astarte*, ita scribit, *nomen habet ab* עשתרות, *quod* greges *sonat, utpote uxor Mosis viri pecuariae rei dediti, de genere Israelitarum, qui erant Viri pastores ovium, curamque habebant alendorum gregum.* En cor Zenodoti, en jecur Cratetis! Sed hujus commatis multa habet Abrincensis praesul, quae ut suam potius ostentaret eruditionem, scripsisse videtur, quam quod ipse de iis apud animum suum persuasus esset, quaeque librum illum *Conjecturarum* potius, quam *Demonstrationis* titulo dignum esse, arguunt.

§. 4.

§. 4. *Matthaeus HILLERUS*, qui nuper tanto ſuo bono, quanto literarum ſacrarum damno rebus humanis exemtus eſt, in ſynt. Hermen. Loco III. c. 5. p. 200. Aſtar. ten derivat ex עשר divitiae, & quod cum hac voce idem eſt, עתרת ubertas, quaſi *aſtaroth* & *Aſtharim* ſint a plurali עתרות & עשרים vel עשר ערתות, addit. *Figuram ſi Ebraeos audiamus Veneri ſuae Philiſtaei & Sidonii oves tribuerunt, quoniam & ovium greges Aſtharoth Phoenicum lingua dicuntur, lucroque & foecunditati notandae aptiſſimum ſymbolum ovis fuit, utpote, quod animal bis parit in anno.* Paulo alitor mentem ſuam explicat p. 205. עשתרות, *Abundantiae & divitiarum Numen Jud. II:* 11. *Compoſitum ex* עשר *vel* עתר *vel* עתרת *abundantia, unde etiam, quod poſſeſſorem ditare ſolent ovium greges appellat* עשתרות, & rurſus pag. 332. עשתרות i. e. *divitiae largae & immenſae.* עתרות *flexum à maſculino* עתר *abundantia. Ovium quoque greges ita vocantur:* ממעשרות את בעליהן *quod ditant Dominos ſuos: ut legitur tract. Talm. Cholin fol.* 84: 2. Ita ſecunda radicalis, litera ת in עשתרית eſſet epenthetica, quod tamen ſine exemplo eſſe adeoque non admittendum obſervat Bochartus in Hier. p. I. L. II. c. 43. Haud ita pridem Thomas HYDIUS in L. de religione Perſarum c. V. p. 134 illis acceſſit, qui vocem illam à עשתרה grex deducunt, *quod Arabibus & aliis paſtoralem vitam agentibus prenum eſſet inter pecudes & ſtel-*

la

las collationem instituere, & inde rei pastorali accommodata nomina imponere stellis. Et ita confert Sepharvaitarum Deum seu astrum ענמלך, *Anamelech*, quasi id esset *pecus Rex* ab ענא Ana sive ען *an*, quod semper collective pecudes minores notet. Joh. FUNGERUS in Etymol. rei aliquantum propius accedit, compositum esse hoc nomen scribens ab עש *stellarum* congregatione vel constellatione, & תור, quae vox & lustrare & certam dispositionem significet. *Asch* quidem esse Arcturum, & *Tor* ordinem gyrantem. Petrus tandem JURIEU in hist. *dogm. & cultuum eccl.* P. IV. tr. V. c. 1. Astaroth sine ulla fere mutatione putat descendere à עשתה ארות, *Asta oroth*, quod significet, *facit lumina.*

§. 5. Quod si & his symbolam adjicere nostram licuerit, in eam ingressus sum opinionem, vocem illam primario sensu significare *stellam*, sive *astrum*, porro numen illud, quod sub Astartes nomine cultum fuit, nihil aliud fuisse, quam tale sidus, utrumque autem denominationem suam a radice quidem deperdita, cujus tamen vestigia nondum prorsus exstincta sunt, videlicet, שחר vel סדר, quod notionem *luminis* sive *splendoris* habet, traxisse. Ante autem, quam id ostensum eo, vellem a Lectore harum rerum gnaro observari, tres potissimum esse sive notas, sive regulas, ex quibus, num vox aliqua ab alia descenderit, cognoscas,

ſcas, quas quidem nunc verbulo tango, uberius de illis forſan alias locuturus. Sunt autem illae ſequentes. *Primo* ſi literae, ex quibus vox compoſita, inter ſe conveniant. *Deinde*, ſi ſignificatio utriusque vocis, & matris & filiae, hoc eſt, & ejus, quae radix eſt, & illarum, quae ex ea derivantur, ſit eadem. *Denique*, ſi ſimilem in modum etiam aliae ejusdem generis voces vel in eadem lingua, vel etiam in aliis derivata deprehendantur. Priorem ſoleo vocare convenientiam *formalem*, *materialem* alteram, tertiam *analogicam*. Si una alterave harum adſit, poteſt illa tibi obrepere cogitatio, unam alteri ſuam dediſſe originem. Si vero omnes tres concurrant ſimul, parum abeſt, quin cum aliqua confidentia id aſſerueris. Id itaque nunc mihi negotii datum eſſe exiſtimabo, ut palam faciam *primo* loco dari vocem, quae, ſecundum literas non diſcrepans ab illa, quam tractamus, *lucis* habeat notionem & *aſtri*. *Porro* hanc quoque primariam ſignificationem eſſe vocis ASTARTE. Quibus *tandem* id addetur, parili modo etiam alia eorumdem locorum idola ſuam appellationem ab eadem radice ſortita eſſe. Quibus praeſtitis benevoli Lectoris erit, num rem acu tetigerim, cognoſcere.

§. 6. Vox itaque, a qua Aſtarte noſtra tanquam è radice pullulavit, eſt סרר, ve ex longe frequentiſſima literarum cognatarum

rum commutatione ; שחר, quae notionem LUMINIS & FULGORIS habet. In Ebraico ſermone, quo ſacer codex eſt exaratus, non memini eo ſenſu eam occurrere, ſed hêic matri auxilio eſſe oportet gnatas, i. e. ex Arabica, aliisque linguis repetatur, quod non amplius in Ebraica ſupereſt. Audiamus magnum Arabiſmi Doctorem Albertum SCHULTENS, qui in animadverſionibus ad Jobum p. 29. haec habet. „Arabice سدر *eſt* „*praeſtrictos habere oculos ex nimia* CLARITA„TE aut FULGORE. Hinc סדר eſt magnum „LUMEN, SUMMA CLARITAS, SERENI„TAS. Eodem modo ut זהב etiam pro *cla„ritate coeli* uſurpatur Job. XXXVII: 21. à „radice זהב *oculos praeſtrictos habere*, proprie „ex *auri fulgore.*„ Haec ille. Golius سدر explicat commotus *fuit & viſu praeſtrictus* ſc. ex nimio fulgore, CAMELUS. Hinc originem trahere putem nomen SHIDER vel SCHITZER, quod inter cognomina eſt, quibus veteres Perſae Deum inſigniviſſe leguntur apud Hydium, (c) quod Deus ſit lux & luminis omnis fonsque paterque. Et cognatum cum his eſt Germanorum meorum & Belgarum, Schidderen/ Schitteren/ id eſt, *micans fulgidumque lumen more* radiorum ſolis & fulguris ſpargere.

§. 7. Deliteſcit eadem ſignificatio in deriva-

(c) In libro de *religione Perſarum* p. 180.

rivatis, v. gr. in voce סדרים apud Jobum, X:22. quam ibi per *lumina* vel *luminaria* omnino vertendam existimo. Describit ibi vel sepulcrum, vel mortuorum quemcunque statum sub symboli tenebrioſi, & lucis expertis loci, id quod passim eadem ratione cum à sacris, tum à τοις ἐξω scriptoribus fieri solet, quando ita loquitur. *Antequam abeam & non redeam* (d) *ad terram* TENEBRARUM, & UMBRAE *mortis*; *ad terram* OBSCURITATIS, *ubi* CALIGO & UMBRA *mortis & non* סדרים, SEDARIM sunt, *ubi vel lux est, sicut* TENEBRAE; Hic quaeritur, quid sibi illi סדרים velint. In eo fere Interpretes omnes conspirant, quod illam vocem interpretantur *Ordines*. Mirum dictu autem est, quomodo se torqueant, quando, quid per illos Ordines intelligendum sit, explicandum est. Quot tum viri, tot sententiae. Non hujus loci est eas omnes, ut plurimum ad rem parum facientes adducere. Inquirat, qui volet. Sebastianus SCHMIDIUS, eas cum recensuisset rejeciſ. setque, ita pergit. *Mihi videtur maxime attendenda* OPPOSITIO & *scopus Jobi*. Recte quidem, &, ut tantum interpretem decet! Neque tamen illam regulam satis videtur ipsemet secutus esse, quando per סדרים intelli-

(d) Haec verba vix elegantius reddere possem, quam verbis poëtae,

Ibo nunc per iter TENEBRICOSUM,
Illuc, unde negant redire quemquam.

telligit *dispositionem ordinatissimam rerum in hoc mundo*, *quae in morte non amplius est*. Neque enim talis directe & proprie opponitur tenebris & caligini.

§. 8. Quod si itaque genuinum sensum illius vocis desideras, faciendum est, quod in investigatione omnium obscuriorum & ἁπαξ λεγομενων verborum fieri debet, adtendendumque, quae vel rebus, quibus tribuuntur, vel contrariis, *quibus* opponuntur, vel finitimis, quibus *adjunguntur*, *vel iis quibus explicantur*, competant, significationes. Quae quidem Antonii Schori circa Latinam linguam observatio aurea, & supra, quam dici potest, egregii usus est in eruderandis genuinis obscuriorum linguae sanctae verborum significantiis. (e) Cum itaque natura oppositorum exigit, ut voces utrinque oppositae oppositas etiam significationes obtineant, proclive est intelligere, quid sint מרירים, si modo, quid iis oppositum sit, notetur probe. Jam, cum *tenebris*, *caligini*, *umbrae*, *obscuritati* contraria unice sint LUMINA, sive LUMINARIA, inter ea autem praecipue sint *sol*, *luna*, *stellae*, καὶ ἐξοχην quoque LUMINARIA dicta, inde concludo ea etiam heic utique intelligenda esse. Ita ut describatur locus tenebricosus, *tristis sine sole domus*, *quae Luce vacet semper*, *caligine semper abundet*; Da/ ut Germani nostri dicunt, jemand weder Son-

(e) Confe Jac. Rhenferdii Opusc. p. 614. sqq.

Sonne noch Mond beſcheinet. Sicut eadem oppoſitio etiam occurrit ſequenti menbro, cum legitur; ותמע כמו אפל ; Ubi prior vox תמע *lux* opponitur אפל, *caligini*, ut ſenſus ſit, nihil adeſſe, niſi meras tenebras, ita ut id, quod vel lucidiſſimum videri poſſit, mera caligo, quemadmodum ejuscemodi oppoſitiones millenis aliis in locis occurrunt. Vide inter alia Pſ. CXXXIX: 11. 12. Atque ita interpretare illud מארים, LUMINA, ſive, ſi mavis, easdem etiam in Latino ſermone literas retinere; SIDERA. Sane de ſideribus jam cogitavit AbenEſra, quod videret Judaeorum perſpicaciſſimus paene neceſſarium eſſe, in hoc loco, ut ita intelligatur, quamquam non tam ad notionem luminis, quam *ordinis* reſpexit, & expoſuit de *Ordinibus ſtellarum*, quum tamen, quod ſciam, ſtellae nunquam abſolute ita appellentur. Tametſi itaque interpretum, qui recentiorum ſaeculorum ſunt, non tamen omniũ omnino, neque iis contemnendis deſtituor ſuffragationibus. Gaudeo enim eos, qui ab urbe Alexandria nomen tulerunt, adeoque antiquiſſimos, & Hebraici ſermonis prae aliis gnaros haud aliter explicaſſe, qui verba, quae tractamus, vertunt, εις γην σκοτους διωνιον, ὑ ὐκ ἐϛι ΦΕΓΓΟΣ, *in terram* TENEBRARUM *aeternarum*, *ubi non eſt* LUX ſive *ſplendor*. Rectiſſime ſane meo judicio, & ſcopo loquendis, verborumque vi convenienter.

§. 9

§. 9. Parum abeſt, quin huc quoque referam locum ejusdem Jobi XXXI: 27. ubi à ſe amoliturus aſtrorum cultum v. 26. dicit *ſe non vidiſſe* (אור) *lucem ſplendentem, neque lunam pulchre incedentem*, & tum addit, ויפת בסתר לבי, quod vulgo vertitur; *& non ſeduxit ſe in occulto cor meum*, ſed quid obſtat, quo minus ita vertamus. *Et non ſeductum* vel *pellectum eſt ad* SIDUS (ſc. colendum) *cor meum*. Ratio hujus verſionis eſt, quod ita cum praecedente eo conſpirant verba magis; Totus cœleſtium luminarium chorus vel ſol eſt, vel luna, vel aſtra reliqua; Cum itaque *ſolis* mentionem feciſſet ſub nomine אור, ut recte Chaldaeus interpretatus eſt, & *lunae*, par atque aequum videri poſſet, ſtellarum memoriam non fuiſſe negligendam, quarum partes in veterum cultu ſane non minoris erant, quam vel ſolis vel lunae. Ne nunc dicam, illud בסתר alias videri cuiquam poſſe aliquid ſuperflui, cum ſi cor allicitur, illud fieri non poteſt, niſi in occulto. Neque quidquam eſt, quod translationi huic opponi poſſit. Judicent tamen peritiores.

§. 10. Ab his autem vocibus, quae lucis notionem inferunt, appellationes ſuas nacta ſunt magna illa cœli terraeque LUMINARIA, *ſol*, *luna*, & inprimis *ſtellae*, κατ' ἐξοχὴν ita dicta, cum paſſim alibi tum Gen. I: 14. Jer. XXXI: 35. Ita SOL ille luminum pater, aſtrorum dux, Chaldaeis dictus eſt אסתהר

אסתהר. (f) Ita enim vertit אור i. e. *ſolem* Targumiſta in allegato Job. XXXI: 26. loco, ſive ita vim vocis אור, i. e. lucem voluerit explicare, ſive ſolem nomine *aſtri*, quod ipſiſſimum אסתהר eſt, deſignare, ſicuti & alias ita ſol dicitur, uti Schol. Pindari docet ad Olymp. I: 9. Ὁ δὲ ἡλιος ΑΣΤΗΡ, cujus rei plura exempla notavit praeceptor meus P. BURMANNUS ad Petron. p. 549. Praeterea LUNAM ita appellatam fuiſſe ex ſequentibus, quando Aſtarten ſub eo delituiſſe nomine monebitur, manifeſtum fiet. Perpendendum quoque harum peritis offero, anne vox סהר, vel סהרא quae Chaldaeis: *lunam* denotat, unde סהרונין lunulas in veſtibus ſignificant, huc pertineat, eademque ſit cum סתר. Sane, cum perpendo, quam frequens in diverſis dialectis linguarum occurrat literarum tranſpoſitio, epentheſis, ellipſis, mutatio, nihil in eo inſulſi deprehen-

(f) Hanc vocem recte cum noſtra contendit Steph. GUICHARTUS, Profeſſor L. S. apud Pariſienſes in libro bonae frugis pleno, *Harmonia etymol. lingg.* Gallice edita Par. 1618. 8. Secutus illum eſt Vir eruditus, ſed, qui nomen ſuum non profeſſus eſt, in *hiſt. crit. Reip. litt.* T. IV. p. 15. 15. *J' aurois beaucoup de penchant a croire, que comme dans l' ancienne langue Phenicienne le ſoleil s' appelloit* אסתהר Iſtehar, *ou bien* עסתהר *avec un* ע *tout de meme la lune ſe nommoit* עשתהרת Aſtehareth *ou* Aſthoreth, *comme on lit aujourdui dans le texte ſacre.* Quam bene haec dicta ſint, docebunt ſequentia.

hendo. Et si in אסתהר *sol* ה insertum, quidni in סהר *luna* potuit ת omitti ? Quibus accedit, quod & eodem modo hinc Σεληνη factum est, uti *astra* appellata fuisse mox palam fiet.

§. 11. Clarius autem, & vel sole, lunaque & stellis fulgidius id apparet in variis vocibus ; quibus stellae illae cœli מאורות, insigniuntur, extra omnem controversiam hinc deducendis. Sic vocem אסתר esse STELLAM agnovere, confessique sunt Judaeorum magistri, iique vetustissimi, qui inde venustissimam puellam, quam Ahasverus deperibat, suum inde nomen traxisse sibi persuaserunt. Ita Targum ad Esth. II: 7. איתקרו שמה אסתר על שם כוכב נוגהא יונית אסתירא, *Vocatum est nomen ejus* Esther *a nomine stellae Veneris, quae Graece dicitur Esthera.* Pariter in Middrasch Jalkuth in Estherae historiam haec leguntur: נקרה שמא אסתר שהיו אומות העולם קורין אותו כוכב הנוגה על שם אסתר *Vocatum est nomen ejus Esther, quia populi mundi ita vocant stellam Veneris* ESTHER. Id jam vidit R. Nehemias in tractatu Talmudico Megilla f. 13: 1. (g) & Moses Alschech Comm. ad Est. f 9. col. 3. & sq. Recte quidem Judaei Estherae nomen a stella deducunt, sed, quod illam vocem vel ad Graecorum Ἀστηρ, vel Sidoniorum עשתרת,

 uti

(g) Citat illum Celeb. WOLFIUS in Bibl. Rabb. T. II. p. 88.

uti iis fuit ſtella Veneris, appellabatur, referunt, in eo minus accurati ſunt. Vivebat enim in regia Perſiae aula, inque ea nomen illius gentilium Hadaſſae commutatum erat in Perſicum ESTHER. Perſarum autem ſermone ستاره, כוכבה, ſignificat *ſtellam*. (h) Inde ſtellas fixas vocant ستر ثوابت & palantes ستار سیاره.

§. 12. Atque inde Eſther dicta eſt, quaſi STELLA, quod nomen etiam aliis apud Perſas datum eſt, quo pertinere videntur שתר unus ex ſeptem cubiculariis Perſarum regis Eſth. I: 10. & alius ejusdem nominis ex ſeptem Perſarum Principibus Eſth. I: 14. & inde natum nomen dicas Satrapae regis Cyri in Eſrae libro c. VI: 6. שתר בוזני SETHAR-BUZANES, quod ipſe Hillerus (i) ASTRUM *magnum* explicat. Ita ut non opus ſit

(h) Vide Angeli a S. JOSEPHO Gazophylacium Perſicum p. 34. & 416. Buxt. in lex. Chald. p. 33. in Talmudico p. 178. *Pfeifferum* in diſſ. de lingua Protopl. §. 2. & in progr. edito Lipſiae, 1684. Praeeuntem in eo habuit magnum Scaligerum in N. ad Euſ. Chron. p. 15. & de Emend. Temp. p. 588. Hill. in Onom. p. 658. Gravius in Elem. L. Perſ. p. 91. Obſervavit id quoque nuper Lucas Cuperus in paratitlis Chronol. ſed quando ob ſimilitudinem nominis ex Eſtera facit Aſtraeam Ovidii, valde vereor, ut aliis id ſit perſuaſurus.

(i) In Onomaſtico ſacro p. 658.

sit ad ridiculum confugere Judaeorum ἐνθύμια quando in Medrash Jalkut fol. 171. col. 1. scribunt, למא נקרא שמה אסתר שמסתרת את דבריה *Quare vocatur nomen ejus* Esther, *quia occultabat verba sua*, *ut dicit scriptura* Esth. II: 20. אין אסתר מגדת מולדתה *Non indicabat Esther natalia sua.* Idem innuitur quoque a R. Juda in citata Mass. Megilla f. 13: 1. & in Targum priore. Eadem sane elegantia à סתר, quâ *occultare*, *latere* notat, derivatur Esther, qua Saturnus, ut statim videbitur. Neque conjecturae Isaaci f. Mosis Jarchi in Captor Vapherach f. 742. & R. Eliesers Germani in *Joseph lekach* Comm. in Esth. f. 241. 1. (quos Pfeifferus l. c. adducit) indigemus, qui ita dictam, quasi *Myrtum* arborem a Chaldaico אסא vel אסתא putant, quos secutus est praestantissimus Philologus Matth. *Hillerus* in Onomastico pag. 621. qui tamen duas voces conjungit, *Asch myrtus* & *thera* nigra, quasi *myrtum nigrum* diceres.

§. 13. Neq; sane inepte Estherae id nominis impertitum est, quod Orientales populi homines & forma & virtute egregios, uti cum sole, & luna, ita & cum reliquis sideribus comparare lubenter solent. Vide quae in hanc rem notavit Vir doctus Emo Lucius VRIEMOET in dissert. de *Schilo* C. V. p. 124. 125. Persis stellam esse symbolum magnitudinis animi vel ex eo loco patet quem jam ex Musladini Sadi rosario allegavit l. c. Pfeif-

ferus. In sacris literis tales appellationes non sunt insolitae. Sic Messias vocatur *stella* a Bileamo Num. XXIV: 17. De ecclesia similem phrasin habes Cant. VI: 10. Confer etiam Dan. XII: 3. & praecipue Siracidem L: 7. ubi Simon dicitur Ἀστὴρ ἑωσφόρος ἐν μέσῳ νεφέλων. Id quoque pervulgatum est apud scriptores exoticos. Sic Apollonius Rhodius L. I. vs. 774. Jasonem describit φαεινῷ Ἀστέϊ ἴσον. Vide eundem L. II. vs. 41. 42. sic Horatius Augustum vocat Julium *Sidus* Od. L. I: 11: 47. & populum Romanum Bruti socios stellas vocavisse idem poeta docet L. I. Sat. VII. vs. 24.

SOLEM Asiae Brutum appellat, Stellasque salubres
Appellat comites - - -

Plura hujus rei exempla qui desiderat, evolvat, qui nobis heic otia fecere, Lud. de la CERDA in comm. ad Virg. Aen. VIII. vs 587. C. BARTHIUM in notis ad Musaeum vs. 22. p. 41. ut & in CLAUDIANUM ad III. Cons. Honorii vs. 130. pariter ad L. de nupt. Hon. vs. 1. Jo. *Weitzium* ad Flaccum L. V. vs. 466. & ad eundem L. V. vs. 366. Lamp. ALARDUM, qui Barthium impudenter exscripsit. Inprimis astrum symbolum fuit pulchritudinis. Hinc formosissimus apud Hor. Od. L. III. c. 9. vs. 21. vocatur SIDERE PULCHRIOR. Et Claud. Fescennina ita inchoat,

Prin-

Princeps coruſco ſidere pulcrior.

Ita Aelianus V. Hiſt. L. XIII. c. 1. Atalantae formam egregiam deſcripturus, ἐπεφύκε, inquit, ὥσπερ ἄστρῳ. Inde rem pulchram deſcripturi eam conferebant cum ſideribus. Vide Val. Flaccum L. IV. vſ. 190. & 331. L. V. vſ. 366. & 466. L. VIII. vſ. 26. Inprimis ea pulchritudo tribuebatur ſtellae Veneris, qualem indicare Eſtheram, vidimus. Sic Hom. Il. X. vſ. 318.

Ἕσπερος ὡς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστὴρ,

Exſtat in aethereo pulcherrimus Heſperus orbe.

Vide Apoll. Rhod. Argon. vſ. 40. 41. 42. & Virg. Aen. VIII. vſ. 589. Immo inter voces amantium ſive ὑποκορισμὸς eſt *ſtella* vel *ſidus*. Sic Amaſiam ſuam SIDUS aureum vocat Hor. Ep. XVII: 31. Sic de Caligula narrat Suetonius c. 13. eum *laetiſſimo obviorum agmine inceſſiſſe ſuper fauſta nomina, SIDUS & pullum & puppum & Alumnum appellantium.* Atque ex his manifeſtum eſt, quam apte & eleganter Eſtherae tam eximia forma virgini, פת-תאר וטובת מראה, qualis deſcribitur Eſth. II: 7. 9. quam in deliciis habebat rex Perſarum, illud nomen dari potuerit. Neque deſunt exempla, ex quibus apud Orientis populos inter nomina propria illud fuiſſe conſtat. Vel illud docere poteſt ille בר כוזיבא, qui ſaeculo ſecundo ſe Meſſiam jactabat, dictus בר כוכב, *filius Cocabi*, i. e. *ſtellae*.

§. 14. Sed videndum porro annon apud Persas eadem vox deliteſcat in aliis vocibus. Fit illud, ſi ſummorum virorum auctoritatibus ſtandum eſt in voce *Aſtramphychus* (V. Scal. de Em. T. p. 588.) & ZOROASTRIS. Hoc jam pridem animadvertit J. SCALIGER in anim. ad Euſ. Chronicon. p. 15. En ejus verba; *Vult Diogenes Laertius Zoroaſtrem lingua Perſica ſignificare* aſtrorum ſacrificulum. *Nos ſcimus de poſteriore verbo veriſſimum eſſe* Eſther *Perſice eſſe ἀστρον aut ἀστηρ, unde* Eſther *dicta fuerit. De priore membro quaerant peritiores linguae Perſicae, non enim ſumus ii, quos pudet non omnia ſcire.* Idem agnoſcit G. J. Voſſius L. II. de Idol. c. 21. Quod fatetur vir ille maximus ſe neſcire, id indagare conati ſunt alii. Bochartus in Phaleg. L. IV. c. 1. eandem ⁊ eſter Perſicam ſignificationem retinet, priorem vocem ab Ebraico שור, quod eſt *contemplari* arceſſit. Aſtri ſignificationem in illa voce quoque contineri ſtatuit Dinon hiſtor. L. XV. apud Diogenem Laertium L. I. c. 8. qui μεθερμηνευομενον, φησι τον ζοροαστρην ἀστροθυτην εἰναι, quam vocem Bochartus corrigit ſubſtituendo ἀστροθεάτην. Gregorius Turonenſis L. I. hiſt. Franc. Pſeudo Clemens in recognitionibus L. IV. c. 27. Abunephius apud Kircherum explicant vocem per *vivum* ASTRUM, primam ſyllabam à ζην imperite deducentes. Jo. H. *Urſinus* in exerc. de Zoroaſtre conjicit ex voce *Zaruam*, quae ſit materia

ria & mater omnium feminum, nomen illud conflatum, quasi ille se dixerit *Zaruami astrum*. Quid si conflatum hoc nomen dixerimus, à שר, quod ut apud Ebraeos, Arabes, & longe plures populos alios, ita & apud *Persas*, *principem* & *Dominum* significat, unde & *Surenae* nomen, quod teste Zosimo ἀρχὴς ἀπὸ περσικὸς ὄνομα. Atque ita Zoroaster, vel ut rectius scribitur Zoroastres, significaret, *dominum astrorum* vel *princeps astrum*. Ita sane vitaretur illud incommodum, quod in Bochartiana sententia est, ubi vox statuitur hybrida, quales vix pati possum, & nomen conveniret viro illi apprime. Ne enim dicam sapientis, qualis ille habebatur, esse *dominari astris*, meminerimus vetustae traditionis, qua dicitur, eum astris multum ac *frequenter intentum & volentem videri Deum, velut scintillas quasdam ex stellis producere, & hominibus ostentare cœpisse, quo rudes atque ignari in stuporem miraculi traherentur. Deinde autem à Daemone suo concrematum vehiculo in coelum raptum, sideribus immixtum, tanquam VIVUM SIDUS fuisse cultum*, quae verba ita ex versione Ruffini apud Pseudo-Clementem leguntur. Sed nolo me huic argumento de Zoroastris vel nomine vel persona, a tot eruditissimis discusso, immergere amplius. Illos tamen, qui hic aliquid astri putant se invenisse, illi videant, quomodo hoc ad vocem *Zardust* vel *Zerdust* transferri possit, cum Per-

sae

ſae ita nominaverint illum, quem deinceps Graeci Ζωροαστρην appellaverunt.

§. 15. Et quid miramur in Perſia hujus rei documenta exſtare, cum in linguis fere omnibus, quibus Europaei noſtri utuntur, talia manifeſtiſſime ſuperſint. Quid aliud eſt GRAECORUM ἀΣΤΗΡ & ἀΣΤΡΟΝ; (k) Quid aliud eorundem ΣΤερεαι, quae notant aſtra, teſte Heſychio; Σπερεαι τινες των διηκριβωμενων ψηφων, ἀλλοι δε ΑΣΤΕΡΑΣ? Quid LATINORUM aSTRum? Quid GERMANORUM STeRn/ & geSTiRn? Quid BELGARUM STeeRne, & STeRne, & StaRRen? Quid ANGLORUM STaRNE, DANORUM STieRNe, & SUECORUM STieRNna? ISLANDORUM sTiRana, qui inde Aſtronomum dicunt ſtiornu meiſtare. In verſione antiquiſſima, quae Ulfilae vulgo attribuitur, legitur *Steorra.* Num vero idem in Latinorum *ſidus* quoque contineri dicamus? Ego ſane non dubitem. Neque tu dubitabis, ſi flexionem vocis adtenderis SiDeRis, & in numero plurali SiDeRa, *ſiderum* &c. ecquis enim non in his תֹרִים֙ & in ſtatu con-

(k) Quis non hoc prætulerit aliis ἑτυμοις, quando aſtrum vel ab ἀυω, *ſplendeo*, vel ab ἀιθω, ἀιτω, uro, vel παρα τὸ ϛω, ϛησω, ϛηϱ, vel quia in coelo ἑϛηκεναι, dictum putant? quando *ſidus*, quia *inſidet* ſe. coelo vel ab εἰδω ſpecies, forma appellatum ſcribunt!

constructo סִדְרוֹ, *sidre* clarissime deprehendit?

§. 16. Hinc elisio d; qualis elisio exemplis non caret, qualemque paulo antea in סהר jam observavimus, facta vox Σειρ, unde Σειριος, *Sirius*; Quae quidem luminum principem, *solem* notant, ut & non infimae magnitudinis astrum, quod à cane nomen habet, sed & generaliter omnia, teste Ibyco, antiquissimo Poeta apud Hesychium; cujus verba notanda sunt. Σειριος ὁ ἡλιος ἡμῃ ὁτε κυνος ἀςηρ & paulo post. Σοφοκλης τε ἀςρων κυνα. ὁ δε Ἀρχιλοχος τον ἡλιον, Ἴβυκος δε ΠΑΝΤΑ τα ΑΣΡΑ. Quibus prorsus gemina habet Suidas. Σειρ, σειρος, ὁ ἡλιος, ἡμῃ σειριος. Et deinde. Σειριον. τον κυνα, ὁτε δε ἡμῃ τον ἡλιον. Ἴβυκος δε ΠΑΝΤΑ ΤΑ ΑΣΤΡΑ ΣΕΙΡΙΑ λεγει. Et Schol. Apoll. Rhod. ad L. II. vs. 519. de voce agit prolixe, & inter alia commemorabilia haec habet; Ομοιως παντα τα ἀςρα ΣΕΙΡΙΑ λεγοιντο, οἱονει - τειρεα τινα ὀντα. Quibus addo Etymologum, qui in Σειραιω ita scribit. Ἐνιοι παντα τα ἀςρα σειριας καλεσι, τειρεα ὀντα ἡμῃ σημεια των πλεονων. Ὁθεν Ανπμαχος Σειριναι τον Δια ἐφη δια το ἀςρον. Ex quibus patet Jovis astrum quoque ita dictum. Σειριᾶ, explicat Hesychius, φλεγμαινει, καιεται, (lege ἡμπεται) *lucet*, *micat*, *fulget*. Quod Latinis est *sideratio*, id Graecis σειριασις. Tanaquillus Faber in notis ad Longinum C. XV. §. 8. non parum se jactat, quando hinc

hinc vocis *sideris* originem putat se primum omnium invenisse. Ceр inquit, *sol est*, στερ, *astrum*, *unde & Latinorum SIDUS, quod, ni fallor, primus omnium moneo. Nam quae de illius vocis etymo dixerunt & Varro & Isidorus, & ii quos appellare nolo, merae nugae sunt.* Haec ille. Quid dixisset, si illi in mentem venisset nostri סרר vel των סררים. Porro huc pertinere ἀστραβην, i. e. *fulmen*, *fulgorem*, & quidem, teste Polluce, talem, qualis convenit astris, & *Fulgur* diceres. Quod etiam sine ἀ praefixo scribitur στερόπη. Hesychius, στεροπη, ἀστραπη, αὐγὴ. Praeterea idem Αστερων explicat ΛΑΜΠΡΟΝ. Porro huc refero sublata prima litera Τερεα, quasi στερεα. Et ea notant astra. Hesychius. Τερεα, ἀστρα. Idem Eustath. ad Hom. Od. E. docet.

§. 17. Certe tantam convenientiam tot vocum, & tantum non omnium, coelestes orbes denotantium in tam diversis linguis forte fortuna contigisse ecquis crediderit? Quin, quis dubitaverit in lingua primaeva radicem aliquam fuisse, quae *lucendi*, *fulgendi* significationem habuit; & ad quam referendae sint reliquae omnes. Neque heic excludam esse velim ipsam Latinorum *STellam*, quod rursus est nostrum *Star*, vel *Stern*, litera r in vicinam maxime l commutata, quo nihil frequentius est. Unde deinde Gallorum *estoile*, & Hispanorum *Estelle* efficta sunt. Potuit id fieri eo facilius, quo certius

tius est idem accidisse eadem ratione simili in voce; V. gr. Stellam vocant Latini quoque piscis marini genus, quod ob quinq; radios stellae speciem quandam habet. Ille Graecis dicitur Σταυρος, ubi easdem deprehendis literas consonantes litera R solum mutata in L. Simili itaque modo astra, quod lucida sint & ignea, ut dicta sunt, uti Anglo Saxonibus eandem ob causam *Eoſtr*, unde deinde factum *Aſtrum*, & Gallorum *aſtre*, *eſtre* sunt *focus*, *foculare*, *fornacula* a luce scilicet & igne, quae tamen appellatio deinceps ad omnes domus translata est.

§. 18. Quod itaque tot vocibus aliis, quae *sidera* notant, contigit, ut à פרר vel מתר originem suam petant, id quoque τῇ Ἀστερ-τῃ sive עשתרות evenisse censendum est. Invenimus enim utrobique easdem prorsus literas. Quae enim additae sunt & in initio & in fine literulae morari nos non debent. Non initialis. Nemo enim facile in linguarum studio tam parum versatus esse potest, ut nesciat, Orientales vocibus suis quam frequentissime א vel aliam ex gutturalibus praefigere, praesertim ante literam sibilantem vel unam ex dentalibus, praecipue S & R. Jam alibi aliquem ejusmodi vocum catalogum dedi. (1) Is nunc infinitis accessionibus augeri posset. Si quis Hadr. Relandi

(1) V. Diss. de Ὀφελ. c. IV. §. 7. hujus Bibl. T. V. p. 294.

landi dissertationem de vocabulis Persicis in Talmude, quæ in dissert. Miscellaneis *nona* est, legerit, deprehendet ea, quae ibi sub litera א occurrunt, quasi indicem esse talium vocabulorum. Nunc unicum tantum prorsus finitimum exemplum earundem literarum addo; Σπαστης graecis est monetae genus; hinc Persae fecerunt استار *Astbar*, atque illud fit majoris commoditatis gratia in pronuntiando, ubi *vox* a duplici consonante, uti heic, inchoatur. Neque impedit, quod in עשתרת occurrat ע non א. Cum talium gutturalium permutatio sit maxime vulgaris, praecipue א & ע; Notum est, quod de discipulis R. Eliesseris in Gem. Berachoth fol. 31. 2. legitur, eos legisse א pro ע, & ע pro א &c. קורין לאלפין עיינין &c. עיינין לאלפין. Saltim in hac voce τὸ ע non aliter lectum esse, quam א, patet ex lectione Graecorum, qui Astarten pronuntiarunt. Uti & Syri scribunt ܥܫܬܪܬ, non ܐܫܬܪܬ. Illud autem A esse praefixum tantum inde constat, quod nunc praefigitur, nunc omittitur. Praefigitur in *Esther*, *astrum*, ἀστηρ, *Eostre*, *eastre*; *Ostera*, & nostra *Astarte*, sicut & Galli rursus in *Estoile* (m) & Hispani in *Estelle*, quae utraque vox a *Stella* Latinorum, adeoque ejusdem radicis est, eam praefixerunt. Contra dem.

(m) Solemne id Gallis. Vide G. Eccardum ad LL. Salicas p. 28.

demta illa litera est in Σπερα, *Stella*, quod & Itali in hunc usque diem retinent. Stern / *starre*, ἀστὴρ, *Stierne*, *Stiorna*, *sidus*, *Saturnus*. Et sic literae praefixae consuluimus, quod finalem adtinet T, ea vel ad femininum ת vel pluralis numeri ות referenda est, & omitti potest, ut patet ex Philastrio, qui habet *Astar*, ex quo perlepide hominem finxit; vide diss. de *Ostera* supra pag. 483.

§. 19. Habemus nunc τὸ *formale* τῆς Astartes, & ex convenientia soni literarumque ostendimus eam a radice סתר vel סדר originem suam trahere, & astri significationem habere POSSE. Nunc ad το (B) *materiale*, ut vocare libet, transimus, evicturi, reapse Astarten fuisse *stellam*, neque fere quidquam aliud per illam indicatum fuisse. Eum in finem meminerimus a temporibus longe antiquissimis Astrorum cultum fuisse in usu, eumque omnium esse vetustissimum, immo unicum, quod praeter illa paene nihil divinis digna honoribus censebant; iis & vitam & rationis usum adscribebant, ab iis res humanas regi credebant; Immo inde fons & fundamentum omnis reliquae idololatriae una cum πυρολατρεια orta. Illa vero Ἀστρολατρεια longe lateque, qua patet, terrarum orbem implevit; Illa infecti fuere & Graeci & Barbari, non minus, qui Europam, quam qui Asiam, Africamque incolebant; Nusquam autem gentium id magis

obtinuit, quam apud illos, qui plagas habitabant Orientales, & in iis, qui Phœnicen, & Arabiam, ubi Aſtartes cultus vigebat in primis. Liber mihi ſcribendus eſſet, non diſſertatio, id ſi perſequi ita vellem, ut poſſem. Illi etiam, qui de veterum idolorum cultu commentati ſunt, id oſtenderunt tam luculenter & copioſe, ut ulteriori demonſtratione poſſim ſuperſedere. Liceat itaque & hinc *generatim* inferre ſub nomine Aſtartes ASTRUM aliquod cultum fuiſſe.

§. 20. Sed & illud nunc *ſpeciatim* quoque declarandum eſt. Plauto, aut quisquis eorum verſuum auctor eſt, de eo enim J. Camerarius, aliique dubitant, in Mercatore A. IV. ſc. 5. v. 18. ita Aſtarte deſcribitur,

Diva Aſtarte hominum, Deorumve vis, vita, ſalus, rurſus eadem quae eſt
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cœlum, SIDERA.

Mor. Iſaac Syrus, quem Kircherus in Oedipo Aegypt. & ex eo alii allegarunt, in cosmographia Syriaca haec habet. ܐܣܬܪܘܬ ܗ ܚܕ ܡܢ ܟܘܟܒ̈ܐ ܙܥܘ̈ܪ̈ܐ ܐܘ ܕܡ̈ܐ ܐܣܬܪܘܬ *Aſtharoth eſt una ex ſtellis minoribus ſeu umbrae* (ita ad verbum haec vertenda ſunt, an vero planetae iis indicentur videant alii) *quae vocatur nomine ſuo Mylitta, ſive*

sive *Ilithyia*, (n) i. e. genetrix & obstetrix; Et hinc varia Astartes nomina, quae omnia stellam ea indicari monent. Herodianus L. V. c. 6. Phœnicibus scribit dictam Ἀστοαρχην. Neque enim opus est, ut hanc vocem cum P. FABRO Semestr. L. III. c. 1. G. J. VOSSIO de Idol. L. II. c. & Nic. FULLERO Misc. L. I. c. 13. corrigamus, & loco Astartes suppositum credamus. Quin indicare videtur id, quod Astarte reipsa designat, scilicet; ἀρχην των ἀστρων, i. e. PRINCIPEM ASTRORUM; quod idem est cum Ἀστραρχη, ut lunam vocat Orpheus, aut cum ἐφορε των ἀστρων titulo, qui apud Etymologici M. auctorem legitur cum מלכת השמים REGINA COELI, quae commemoratur Jer. VII: 18. XLIV: 17. cum BELISAMA, quod nomen in veteri inscriptione apud Conseranos in Novempopulonio legitur, nihilque aliud quam *Coeli Dominam* quasi בעלת השמים notat. Porro, ad stellas nos quasi manu ducunt reliquae, quae Astartae, dantur vel appellationes vel epitheta. V. gr. quando, quod persaepe fit, dicitur COELESTIS, vel Sanchuniathoni apud Eusebium COELI FILIA, vel quam plurimis aliis ΟΥΡΑΝΙΑ, ab Chaldaeorum אור vel אורא, lux, ignis, unde & ὀυρανος & Ur Chaldaeo-

 rum

(n) Has voces enim a Syro puto innui, quarum prior Herodoto Assyriorum Venerem significat, altera notum est Graecorum numen.

rum, & Horus Aegyptiorum, & Orion, Graecorum πυρ, noſtrum Feuer, & innumera alia originem ſuam hauſere; (o) Uti igitur אור notat ſolem apud Jobum Cap. XXXI: 26. ita ουρανια indicare poteſt vel lunam, vel aliam inſignioris notae ſtellam addito ex Syrorum more τῶ ן, unde factum אורניא &, אורן, quae vox Θεον ἐπιφανεντα ſignificare poteſt, uti Aſtarten noſtram vocat Diodorus Siculus L. II. p. 92.

§. 21. Patet ex his Aſtrum aliquod per Aſtarten eſſe ſignificatum. Quale autem illud fuerit, de eo *certant*, & *adhuc ſub judice lis eſt.* Utrumne enim per illam LUNA, illa *ſiderum regina bicornis*, uti Horatius vocat, illud ἄστρον πεζοβιζον, ut Aeſchylo dicitur, illa *Phœbe*, *aſtra quam cingunt vaga*, *lateque fulgens aetheris magni decus*, ut Senecae verbis utar, id quod Luciano, Herodiano, Phavorino, Abarbeneli, & nuper Petro viſum eſt JVRIAEO, (p) an Venus, (q) quod a multis creditum fuiſſe oſtendi ſupra pag. 486. num vero Juno, quod Auguſtinus aſſeverabat, aut Cybele, ut Grotius & Huetius

(o) Vide Bibl. noſtrae T. I. Faſc. I. p. 57. & T. VIII. p. 472.

(p) Singulari illud capite oſtendere id conatus eſt in l. c. P. IV. c. 4.

(q) Illam cum luna ſaepius confundi oſtendit Voſſius de Idol. L. II. c. 27. Millius in diſſ. de Gad & Meni §. 9. 10.

tius putabant, an vero alia ex siderum grege intelligenda sit, exacte nolim definire. Video enim magis, ac magis historiam idololatriae veteris, nil nisi molem rudem, indigestamque esse, tot implexam dumis, ut nihil fere accurati, certique de ea tradi possit. Ut tamen, sub nomine Baalis & Molochi sol potissimum ab Orientis populis cultus fuit, ita sub nomine Astartes, & deinde Astaroht, quae τῶν בעל׳ים frequenter admodum & fere semper in codice sacro adjunguntur, LUNAM adoratam fuisse existimo. Et illi percommode hoc nomen, quod proprie *stellam* denotat, datum est, cum & apud alios scriptores καθ' ἐξοχην SIDUS dici soleat. Vide quae in hanc rem notavit Cel. BURMANNUS ad Petronii C. CXIX. & S. Tennulius ad FRONT. strat. L. I. c. 12. ex. 9. Et sic lunae astrorum principi nomen pluralis numeri עשתרות datum est excellentiae causa ex illarum nationum more. Deinde videtur id quoque nominis translatum ad reliquas errantes stellas, imo omnem astrorum exercitum, quem sub titulo των עשתרות venerabatur oriens; Hoc unicum liceat addere observationis, cum Sanchuniathon apud Euseb. L. I. Pr. Ev. Astarten scribit sibi imposuisse caput bubalum της βασιλειας επισημον, adeoque cornibus ornatam fuisse, in eo respicitur vel ad lunae, quam Astarten esse volunt, cornua,

vel ad radios micantis hujus ſtellae, qui eadem voce a Phœniciis, qua & cornua ſolent, των קרנים inſigniuntur.

§. 22. Habemus *formale* pariter & *materiale* hujus nominis, diſpiciendum porro, anne (C) & *analogia* congruat, i. e. anne in finitimis rei vocabulis ſimilis efformatio inveniatur? Verum enim vero tales certe non deſunt. Huc retulerim illam,

- - - quæ *caede madentes*
Ultima cœleſtum terras ASTSRAEA reliquit,

quam in aſtrorum choro non ultimo loco collocat Antiquitas. Porro inter cognomenta Jovis, in ſtellarum agminibus non poſtremi, eſt quoque ASTERII, apud Euſebium, Diodorum Siculum, Apollodorum, Tzetzen. Αστερον appellat Lycophron vſ. 301. ubi vide Scholiaſten. Αστεριωνα vocat Etymologus magnus in Μινως. Quid dicam de ASTRAEO, vel Αστραιῳ, quem ex aurora Patrem ſtellarum factum Apollodorus narrat L. I. c. 2. §. 4. Quid de ASTERIE, quem vel poli & Phœbes i. e. cœli & lunae, vel Titanis, i. e. ſolis filiam faciunt. Quid de *Aſtrateae* cognomento dato Dianae, teſte Pauſania in Laconicis c. 25. Fuere hi omnes aſtra, uti Aſtarte, eodemque modo, ut haec, inde nomen ſuum nacti.

§. 23. Addam tamen unicum, quod prae aliis notandum & vel ſolum rem conficere poteſt, SATURNUM. Dici nequit, quam

ſe

se in indaganda illius originatione macerarint Grammatici, & quam insulsae hinc, inficetaeque prodierint conjecturae. Quis enim, cum audit, quidquid hoc nominis est, quod tamen extra omnem dubitationem ex Eois plagis arcessendum est, derivari vel e Graecia vel Latio, idque vel à Chaldaeorum סטר *destruxit*, *devoravit*, cum tamen teste Dionysio Halicarnasseo ὁ δαιμων πασης ευδαιμονιας δοτηρ, και πληρωτης ἀνθρωποις vel a voce *Satur*, quod senex sit dierum *satur*, aut, ut Cicero ait, *quod saturetur annis*, vel a *satu*, quasi *Saturnus*, quod rerum omnium semen & origo, & quasi *sator* sit, vel περι την αιδην, i.e. pudenda, quae patri suo fertur praescidisse, veluti Sathimnum, sibi temperet à risu? Ne quid nugarum deesset, Ramierium Gallorum Abbatem, (r) à voce *Sadora*, quae Martialem notat, Saturnum deduxisse, cum tamen ipse, cujus linguae haec vox sit, non indicet, lego. Vulgata maxime, & apud omnes inveterata opinio est, quando à סתר *latuit*, *abscondidit*, originem repetunt, quam tamen neque tum, cum praetextatus puer essem, ferre potui. Nequibam enim concoquere stellarum fere maximae, cujus est lucem spargere, & a cultissimis populis summa veneratione cultae, quam *Patrem veritatis* omnia manifestantis faciebant, ab *occul-*

(r) Is Hagae Comitum edidit explicationem Fabularum historicam, 1713. 8.

cultando impositum fuisse nomen. Neque tamen occurrebat aliud, quod substituerem, antequam hujus שטר notionis in mentem venit.

§. 24. Tunc enim didici *Saturnum* notare corpus splendens, luminans, quod vocamus *stellam*, seu astrum. Huc manu nos ducit (α) *formalis* ratio, sunt enim prorsus eadem literae, quae occurrunt in סתר, SaTuR &c. quibus adde ן paragogicum ex Syrorum more, hinc, uti a בעל, *Baal* & *Bel* factum est Belenus, ita fit SaTuRNus & apud Germanos STeRN. Quamquam & illud omittitur saepius, quod patet ex nomine Belgarum *Saterdag*, & Anglorum *Saterday*, quo illi diem ultimum hebdomadae, i. e. Saturni exprimunt. Anglo-Saxones in versione veteri Marc. XV: 42. Sabbathum vertunt *Saeterdaege*. Ibi tamen Marc. XVI: 1. & in rubrica Luc. III: 1. scribitur SAETERES DAEG. Idolum *Saeter* cum Crodone à veteribus Germanis cultum scribit Ricardus Verstegauus, Anglus, Ant. vest. c. 3. cujus tamen rei probationem allatam fuisse optarem. Quod (β) *materialem* attinet causam, quid ei appellationis conveniret magis, quam *stellae*, quae stellarum vagantium, ex quibus omnem Deorum cultum mutuari debere R. Salomon Isacides ad Gen. IV: 27. judicat, est prima & omnium altissima & maxima, & *summa* ut Macrobius vocat. Hinc Tac. Hist. L. V. c. 4. scribit Judaeos Saturno ho-

(s) In Somn. Scip. L. I. p. 66.

honorem habere, *quod e septem sideribus, quibus mortales reguntur, altissimo orbe & praecipua potentia stella Saturni feratur.* Unde καθ' ἐξοχην dicitur כוכב & 'ACTPON in ipsis etiam sacris Amos. V: 25. Act. VII: 43. & pertinere ad την ςιαπαν τȣ θεȣ i. e. stellas Act. VII: 42. dicitur Quae etiam causa est, ut excellentiae causa appellari videatur *coeli numen* vel potius *lumen* in noto illo Juven. XIV: 96. De quo loco alias dixi, nunc tantum addo. Saturni stellam ibi intelligi, vel ex eo proclive est creditu, quod praecedente versu fit mentio Sabbathi, quo Judaeos Saturnum colere credebant gentiles. Hinc sub astri imagine colebatur Saturnus, ut rursus docent citati ex Amoso & Actorum libris loci. Hinc *coeli filium* vocabant Saturnum. Et haec procul dubio causa est, quod olim Molochi, quem Saturnum esse volunt, capiti in summitate frontis inter cornua lapidem pellucidum & coruscantem, tanquam stellae symbolum, imponebant, testibus Cyrillo in Amosum, & Theophylacto in Act. caput septimum.

§. 25. Denique idem (γ) ἀναλογια comprobat, quod & eodem modo à *lucendo* ei adhaeserint appellationes aliae. Sic καθ' ἐξοχην dictus est ΦΑΙΝΩΝ. Uti enim Jupiter φαεθων, Mars πυροεις, Mercurius στιλβων, Venus ἑωσφορος adeoque planetae omnes, quos hos quinque tantum agnoscebat antiquitas, a luce & splendore dicti, ita & Saturnus inprimis. Docet id Achilles Tatius in Isagoge, citante Vos-

σιο. Αιγυπτιοις και ἑλλησι, τω χρονω ὁ ἀστηρ, δι' ὃν ἀμαυροταλ@ ὢν ΦΑΙΝΩΝ λεγεται, *Aegyptiis & Graecis stella Saturni, utcunque obscurissima, PHAENON*, i. e. *splendens, lucens*, vocatur. Et Martianus Capella L. VIII. *Saturnum PHAENONA vocant*, quae hausta videntur ex Aristotelis aut quisquis illius auctor est, in libello de mundo, ubi ait κυκλον χρονω καλουμενον etiam vocari τον τω ΦΑΙΝΟΝΤΟC, quod & repetit Apulejus in L. de mundo p. m. *Hic PHAENONIS globus, quem appellamus Saturnum.* Imo jam Manethon in fastis siculis, sive Chronico Alexandrino refertur scripsisse τον λεγομενον χρονον ἀστερα vocatum τον ΛΑΜΠΟΝΤΑ, *splendentem, fulgentem.* Confer Voss. de Idol. L. II. c. 33. Haec Saturni cognomina verum ac genuinum sensum vocis Saturni nobis exhibent, docentque à סתר, non qua obscurandi, & latendi, sed qua *fulgendi lucendique* notionem habet, descendisse. Imo quando φαινων vocatus, idem est, ac si dictus fuisset *stella*: Stellis enim proprium φαινεσθαι. Act. XXVII: 20. legimus μητε ἡλιον, μητε ἀστρων ἐπιφαινοντων. Unde Aristoteli, aliisque stellae dicebantur φαινομενα. Unde Aratus librum, quem de stellis scripsit, inscripsit τα φαινομενα, secutus in eo multos alios, quos in limine notarum in Aratum adducit Grotius. Eodem modo dictae λαμπαδες Polluce teste L. IV. c. 20. Et σπλβοντες teste Schol. Apollonii II: 519. Significatus ejusdem est ἩΛ quod quoque inter nomina Saturno adtributa recensendum est! Docet id Dama-

scius

scius in Isidori vita apud Photium cod. 242. Φοινικες και Συροι τον χρονον ΗΛ και Βηλ επονομαζουσι, *Phoenices & Syri Saturnum EL & BEL nominant.* Descendit illud a radice, quae pariter *luminis* & *splendoris* significationem habet, & ex qua eadem ratione, tot nomina siderum orta sunt, qua ex סדר, planeque & sono & significatione idem est cum nostro Germanico Hell, i. e. lucidum, fulgens. Id olim erit singularis observationis argumentum. Nunc tantum observetur Saturnum & ita dictum à *luce* & fulgore.

§. 26. In hac autem sententia confirmor haud parum, quod & deprehendo alterum communem Saturni nomen, quo Graeci utuntur potissimum, τυ ΚΡΟΝΟΥ, ejusdem prorsus & originis & significationis esse. Ridiculum est, quando vel a χραω, aut χιρναω, miscere, vel a χρινειν derivant. Vulgo à τυ χρονυ à *tempore* arcessunt, inducti solum aliquali literarum similitudine, quae si non aliis comitata est argumentis, parum sane momenti ad rem ipsam affert. Neque cogitabant ut veterum illorum idolorum cultum, ita & illorum nomina ex Oriente petenda esse omnia. Mihi non dubium est, quin χρονος ad vocem קרן referenda sit, non quidem qua *cornu* significat, quod Moloch, qui non alius à Saturno, capite taurino suis munito cornubus pingebatur, quæ ariolatio est P. JURIAEI, (t) sed, ex ea parte, quatenus, *lucendi, micandi, fulgendi, splendendi* notionem habet, quod habet ut plurimum. Ita ut ὁ ΚΡΟΝΟΣ nihil aliud rursus sit, quam ὁ ΦΑΙΝΩΝ, ὁ ΛΑΜΠΩΝ, ὁ ΗΛ, ex quo simul nomen Saturni, qui χρονος est, idem id notare manifestum fit, ὁπερ ἐδει δειξαι. Unde pariter ratio elucet, ob quam faces & lumina in Saturni cultu fulgere solo-

(t) Dans l'hist. *des dogmes & des cultes de l'eglise* L. IV. c. 3.

solebant. *Unctis* enim *faleiferi Senis diebus*, i. e. in festo Saturnaliorum lumina accendebant, & doni loco cereos sibi invicem missitabant, narrantibus Macr. Sat. L. I. c. 7. Festo in *Cereus* & Mart. L. X. Epigr. 87. Quem haec decerent melius, quam Saturnum, τον Φαινοντα, τον Λαμποντα, τον Ηλ?

§. 27. Eodem itaque modo, quo maxima haec stellarum palantium nomen suum a שחר, *luminare, splendere* & accepit, & retinuit etiam inter Germanos, aliosque, idem factum est circa ASTARTEN, non ultimam pariter palantium astrorum, & utraque vox SATURNUS & ASTARTE; uti literis ipsis, ita & significatione conveniunt prorsus, notantque LUMINA, uti stellas apud Latinos scriptores passim notare pervulgatum est. Non itaque exagitandus fuisset Suidas, id quod factum a compluribus, quod his non absimiles natales adsignavit Astartae; Audiamus illum; ΑΣΤΑΡΤΗ, ἡ παρ' ἑλλησιν ἀφροδιτη λεγομενη ἐκ τυ ΑΣΤΡΟΥ την ἐπωνυμιαν πεποιηκοσιν. Similem in modum auctor Etymologici magni. Ἀσταρτη, ἡ Θεος, ὀνομα εἰδωλυ ἐστι. λεγεται δε ἀπο μεταφορας τυ ΑΣΤΡΟΥ. ἀστρον γαρ ἐν τω ὐρανω ἀναπλασμα, ἀφ' ὐ το εἰδος καλειται, ἐχον ὀνομα ἀστρυ. λοιπον παρα τυ ἀστον, ἀστρτη, και ἐν ὑπερβιβασμω ἀσταρτη, ἡ παρα το ἀστερατη και συγκοπη, ἀστρατη. Εφορος γαρ των ἀστρων ἡ Θεος. Secutus hunc est Phavorinus, cujus haec verba sunt. Η ασταρτη Θεος ἡ σελενη παρα το ἀστρα Ἀστρατη, ἡ παρα το τυς ἀστερας και κατα συγκοπην Αστρτη, ἀστρταιος Αστρτης. Falluntur, illi quidem quod voci illi originem adsignant Graecam. In eo tamen rem me quidem judice tetigerunt acu, quod ab *astro* repetant, si modo monuissent, quomodo illa vox a primis suis i. e. Phœniciis incunabulis arcessenda esset.

QUAESTIO.

Quid sit עצוב ועזור in locis Deut. XXXII: 36. 1. Reg. XIV: 10. XXI: 21. 2. Reg. IX: 8. XIV: 26.